h. 13. 45

LUDOVICI MOLINÆI COROLLARIUM AD

G. 1. 42

Paræneſim ſuam ad Ædificatores Imperii in Imperio;

In quo

Se purgat de conſilio & argumento operis ſuſcepti, & inſuper differit.

De optima ratione diſciplinæ conſtituendæ in Anglia.

De ratione propoſita ab *Henrico Vaneo* Equite Aurato.

De tolerandis & puniendis hæreticis.

De natura ſchiſmatis.

De jure quo diſciplina Eccleſiarum reformatarum in *Gallia* nititur.

Tum exhibet.

Specimen Imperii in Imperio à fratribus *Scotis* ædificati.

Subjicitur,

Admonitio de Paræneſeos erratis.

LONDINI,
Excudebat R. DANIEL, proſtat apud *Samuelem Thomſon*, ↄIↄ IↄC LVII.

COROLLARIUM

AD

CAMBRIDGE

Nobiliſsimo, Ampliſsimo & Fortiſsimo Viro D. D.

GUILLIELMO SYDENHAMO *Militum Tribuno, Inſulæ Vectæ Gubernatori; & in ſupremo reipublicæ conſiſtorio Senatori.*

D. D. C. *Author.*

MEum Corollarium, vir Illuſtriſſime, ultro ad te properat; nam cum Paræneſim ipſam, benignis aſpexeris oculis; at in ea non-

nulla esse existimaveris, quæ ulteriore disquisitione egent, ut est ratio religionis & pietatis firmandæ variè à variis proposita & probata; tum temperamentum quod adhiberi debeat in tolerandis aut coercendis à fide deviis, non alius est qui saniore & defœcatiore judicio, & majori studio pietatis promovendæ, de tota re disceptare & pronunciare possit & velit: cum enim omnia post religionem ponas, veræ pietatis usque adeo cultor, ut domum tuam nemo ab Ecclesia Dei distinguat; ad cujus exemplar ideo omnes boni cuperent totam gentem exscribi, & in Ecclesiam coire, sisque Divini, hu-

manique juris consultissimus, ut pacis bellique artibus juxta clarus, atque in republica summa polleas authoritate; haud dubio non solum privatæ pietatis, sed etiam publici officii fructum quæris in re longè præcipua, ut est cura veræ religionis defendendæ & tuendæ, adversus lacessentes ejus pacem & corrumpentes ejus doctrinam, aut imperium in eam vendicantes. Præter causas publicas quæ effecerunt ut non diu ambigerem quem opellæ quærerem Patronum, Tua ingentia, tum lectissimæ, pientissimæ, & incomparabilis Matronæ conjugis tuæ, maxima in me merita, impulerunt ad conse-

crandum tibi iſtud quidquid eſt, futurum teſtimonium qualecumque, tum grati animi, tum amoris quo te depereo, & obſervantiæ quâ te colo.

INDEX.

I. Proœmium.
II. Aſtruitur Paræneſis teſtimoniis, maximam partem è ſcriptis vindicum presbyterianæ diſciplinæ petitis.
III. Defenditur titulus libri.
IV. Author de ſtili acerbitate ſe purgat.
V. Amolitur odium & invidiam ſublatæ diſciplinæ. Quo jure diſciplina Eccleſiarum in Gallia nititur.
VI. Quod Paræneſis non detrahat de poteſtate Paſtorum.
VII. Quod certa forma diſciplinæ non extet in Scriptura.

VIII. Expenditur ratio *Henrici Vanei*, Equitis Aurati, si sola obtineret.

IX. Occurritur objectioni, quod tametsi nihil nisi vera asserantur in Paræneſi, periculosè tamen palam fieri.

X. An per solam disciplinam Presbyterianam eatur obviam hæresibus. De optima ratione constituendæ disciplinæ in Anglia: de cœtibus fratrum congregationalis disciplinæ: de tolerandis heterodoxis & puniendis hæreticis.

XI. Occurritur objectioni, quod Paræneſis schismata introducat, de natura Schis-

ma

matis : de diatriba *Ioh. Ovveni* de ſchiſmate.

XII. Expurgat ſe author de accuſationibus fratrum Scotorum. Specimen Imperii in Imperio ab eis ædificati exhibetur. cauſa longè præcipua cur præ reliquis reformatis, poteſtatem Eccleſiaſticam & Imperium in Imperio in immenſum protulerunt.

XIII. Occurritur objectioni, quod author cauſæ ſuæ malè conſuluerit, dum in Præfatione ſua excurrit in Apologiam *Ioh. Dallæi* & Methodum *Amyraldi*.

Ad-

Admonitio de Paræneſeos erratis.

Diluuntur accuſationes & imputationes viri docti: de utilitate quæ accedit ex hoc argumento palam facto. an author Paræneſeos damnet diſciplinam in Eccleſia. Quo ſenſu ſpiritus privatus & magiſtratus dicantur Iudices fidei & controverſiarum. Locus S. Pauli 1 Cor. 5. v. 13. *tollite improbum*, &c. in quo ſibi præcipuum pro excommunicatione & poteſtate Eccleſiaſtica reponit præſidium, accuratius exponitur & examinatur. locus Matth. 18. v. 18. attingitur. Erratum uni-

cum

cum in Paræneſi gravius excuſatur: reliqua quæ ſunt partim typographi, partim ammanuenſis indicantur & emendantur.

Epiſtola ad nobiliſſimum virum *Robertum Boyle* de uſuris.

Hen-

Henricus Bullingerus Epist. ad Dathenum.

Contendimus, disciplinam in Ecclesia esse debere, sed satis esse si administretur à Magistratu.

Idem referente Bezâ Præf. ad tract. de Presbyterio & excommunicatione.

Cum Ecclesia careret Magistratu, cito consilia inivit quomodo sceleratos coerceret; nec illis aliud visum est remedium quam excommunicationis.

Calvinus Ep. ad Tigurinos Ministros anno 1553.

De excommunicatione non omnes hodie idem sentiunt: nec me latet pios & doctos esse homines, quibus sub Christianis principibus non videtur esse necessaria excommunicatio.

CO-

COROLLARIUM AD PARÆNESIM.

I. *Proœmium.*

AUdio pluſquam vellem, me in multorum odium & reprehenſionem incurrere, quod jura Magiſtratus defenderim adverſus poteſtatem hactenus in Orbe Chriſtiano habitam & retentam, tum à Romanenſibus, tum à reformatis, præter omnem humani Divinique juris rationem, cum tamen qui ubique mihi conflant invidiam tanquam everſori diſciplinæ Chriſtianarum Eccleſiarum, omnia ſuſque deque miſcenti, ne in uno quidem ſubſtant quo demonſtrent, me, nec rectam ra-

rationem, nec Sacram Scripturam, nec authoritatem magnorum in Ecclesiâ Dei virorum suffragantes habere. Quod attinet ad præsidia à ratione petita, confido ad exemplum theorematum & propositionum Euclidis, alteram ab altera sic excipi, & à me probari, ut etiam refragantes, una semel concessa esse veritatis compertissimæ, ad admittendum pariter reliquas compellat: Principiis enim de natura authoritatis, potestatis, Imperii, Iudicii & fori, tum interni, tum externi, cognitis, facillimè expeditur quicquid de excommunicatione, de potestate iudiciariâ pastorum & synodorum nostri ædificatores somniant. Locorum verò Scripturæ in quibus putant suam potestatem Ecclesiasticam fundari, ne ipsi negabunt summâ se egestate laborare: neque enim pluribus aut validioribus tuentur suam potestatem quam Papa suam monarchiam temporalem: demptis enim istis. *Dic Ecclesiæ & Quicquid ligaveritis*, ac *Tollite è medio vestrum*, nullum erit in Scriptura fu-

fu

fugium, quo ſe recipiat. De teſtimoniis quibus me tueor, cum nihil in ſumma rei affirmem quod non firmem authoritate magnorum Virorum & de Eccleſiâ Dei, ſaltem de re literariâ optimè meritorum, tum ſcholaſticorum & juriſperitorum, cur eadem ſententia vapulabit tanquam periculoſum dogma in ore meo, quæ in ore Martyris, Parei, Reinoldi, Riveti, Chamieri, Cameronis, non improbatur. Lubet hic percurrere, ſingula capita, quibus gravibus authoribus nixus erraſſe dicor, adductis potiſſimum teſtimoniis vindicum presbyterianæ diſciplinæ.

II. *Aſtruitur Paræneſis teſtimoniis, maximam partem è ſcriptis vindicum presbyterianæ diſciplinæ petitis.*

Si culpandus ſum quia dixi paſtores habere munus & functionem, at nullam juriſdictionem, erravi cum Cameronе, Salmaſio, &c.

Camero tom. 1. in Matt. 18. p. 25. *Privatus admonet officii ratione; Eccleſiæ muneris: porro munus habet authoritatem, quamvis illa authoritas juriſ-*

jurisdictionis authoritas non sit. mox. *Ergo Ecclesia habebit authoritatem, sed eam quæ muneris est.*

Salmasius apparatu, p. 138. *Nulla jurisdictionis pars in eo officio quod ministerium esse tantum constat spirituale, & institutione suâ, & quod totum in curatione animarum versatur.* Et paulo post. *In diversis quas obit functionibus, ne una quidem potest nominari ad quam procurandam opus sit jurisdictione civili & coactiva. Si doctrina populus fidelium instituendus sit, nulla ad hoc jurisdictio requiritur, si sacramenta administranda, multo minus; solum quippe ministerium exigit.*

Primâ dist. de pœnitentiâ can. *Verbum*, citatur Ambrosius in hæc verba. *Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos est judex, sacerdos quidem suum officium exhibet, at nullius potestatis jura exercet.* Ad hæc verba *Sacerdos est judex*; glossa annotat *judex, id est minister, ministerio enim non authoritate habet peccata dimittere.*

Pet. Molin. cum allegavisset ejusmodi locum lib. 2. de pœnitentiâ. c. 1. subjicit. *Ministerium dicit non potestatem judicariam.* lib. 3. de pœnitentia & clavibus cap. 14.

Si perperam dixi magistratus primam & præcipuam esse curam regere Ecclesiam, secundam rempublicam gubernare, erravi cum Riveto, Pareo &c.

Ejusdem debet esse potestas cujus cura, Theodosius & Valentinianus, Novella de Iudæis A. D. 439. Ian. 39. dicunt, *Præcipuam curam Imperatoriæ Majestatis esse religionis indaginem*, No

Nov. 6. ad Horſmidam An. 535. *Inquiſitio veræ religionis præcipua eſt ſolicitudo Imperialis.*

Gratianus decret. par. 2. Cauſa 23. quæſt. 7. c. 11. *cognoſcant principes ſeculi debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt, nam ſive augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exigit qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.*

Confeſſ. Scor. art. 25. *Regibus rectoribus & magiſtratibus affirmamus imprimis & principaliter incumbere conſervationem & purgationem religionis ut non tantum conſtituti ſint pro poteſtate civili, ſed etiam ad aſſervandam veram religionem & ſupprimendam idololatriam & ſuperſtitionem quamcumque.*

Conf. Helvet. ſect. 30. *Docemus religionis curam imprimis pertinere ad magiſtratum ſanctum.*

Pareus ad Rom. 13. *Quæ leges Imperatoriæ tribuunt principi, ea ad curam principis pertinent, ſed leges Imperatoriæ tribuunt Principi quæſtionem, cognitionem & judicium, non ſolum de civilibus, ſed etiam de fide quæ vera & quæ vera non ſit, de officiis & de ordinibus Eccleſiaſticis, de perſonis, cauſis Eccleſiaſticis, ergo ad curam Principis hæc pertinent.*

Rivet. in Decal. *Magiſtratus eſt cuſtos quarti præcepti quo ſanctificatio ſabbati & conſequenter procuratio cultus Divini ipſi eſt commendata.* Idem ibidem. *Non negari poteſt præcipuas in religione aſſervanda & vindicanda partes, imo etiam conſtituenda penes regem extitiſſe. Vnde eſt quod per Sacræ Hiſtoriæ ſeriem totam mutato novi regis animo, mutata ſemper fuerit religionis facies: quæ mutatio, ſive in bonum, ſive in malum ſemper*

regi ascribitur quasi factum ejus; nec summi sacerdotes unquam vel præstare potuerant ut fieret mutatio in melius, vel ne fieret in pejus impedire. col. 1373. tom. 1. sic loquitur confess. Argentinensis. c. 23. *Sic Deus res nostras moderari solet, ut ab iis qui rerum potiuntur pendeat ex bona parte subditorum & salus & pernities.*

Si perperam dixi Laicis æquum jus esse in Synodis cum pastoribus, etiam ubi agitur de dogmatibus fidei, erravi cum Papis, scholasticis, tum cum Melanctone, Pareo, &c.

Gratian. dist. 96. Cap. 4. Pap. Nicolai ad Michael. Imp. *Vbinam legisti Imperatores antecessores vestros Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad Laicos & ad omnes omnino pertinet Christianos.* Et c. ad sedem cauſ. 35. qu. 5. inquit Alexander Papa. *Nos hanc quæstionem discutere curavimus in Synodo habita in Lateranensi consistorio, convocatis ad hoc opus episcopis & clericis, atque judicibus diversarum provinciarum.* Longum est recensere testimonia Caroli Molinæi, Marsilii Patavini, &c. tum Reformatorum seu Calviniſtarum sive Lutheranorum affirmantium Laicis quoque jus esse suffragii in synodis de quâcunque re propositâ, saniorum sane Amyraldo imo & Lud. Capello cujus verba sunt, de vario regimine Ecclesiæ. Thes. 4. 4. *Cum de doctrinâ aut de dogmate aliquo agitur & disceptatur, sententiam*

tentiam niſi paſtoribus libeat, non dicunt, ſuffragia eorum tum non numerantur.

Si perperam dixi Magiſtratum eſſe caput Eccleſiæ & de omnibus cauſis & perſonis ultimo judicio pronunciare, decernere & definire, erravi cum Martyre, Zanchio, Reynoldo, Camerone, Riveto & ſtatutis Angliæ.

Zanchius in 4. præcept. *Scientia non minus requiſita in Principe, qui quod agere inſtituit illud intelligat, intelligat inquam certè an quæ vult inſtituere aut reformare ea ſint ex voluntate Dei nec ne ſint, & quidem intelligat non in genere ſolum, ſed in ſpecie & ſingula, ad quæ non alieno intellectu, ſed ſuo, ſuiſque oculis videat, non alienis.* Idem loc. com. cap. 26. 79. *Improbamus illos qui authoritatem in religione dicis tantum cauſâ attribuunt magiſtratibus, dum illos aliud eſſe nolunt quàm eorum, quæ ab epiſcopis definiuntur exequutores.*

Camero pag. 377. *Noſtra eſt ſententia licere quidem & verè incumbere id magiſtratui conſulere Eccleſiam cum agitur de hæreſi: iidem tamen negamus id eſſe jus Eccleſiæ ut quicquid ipſa decreverit, eo ipſo quòd decretum eſt ab Eccleſia, cæco animi impetu magiſtratus ſequi debeat, ſed diſpicere ipſe quid ſit decretum: hujus rei exemplum eſt quod magiſtratus medicos conſulunt cum quæritur an quis ſit veneno extinctus; neque tamen magiſtratus ſequitur medicorum ſententiam obedientiâ quadam cæcâ, ſed perſpectis medici rationibus ipſe judicat; alioquin* (inquit) *eſſet carnifex cui nihil æque convenit*

quam quod à judice decretum est exequatur nullâ adhibitâ ratione, nihil autem æque judici convenit ac ratio.

Pareus in 13. ad Rom. *Princeps debet defendere veram religionem; falsam avertere, blasphemias & hæreses arcere: ergo debet hoc singula cognoscere & judicare ex officio, alioquin si gladium tantum ad nutum sacerdotum stringere debet sine cognitione & judicio & sine omni quæstione recte se habeant judicia pastorum nec ne, quid erit nisi apparitor vel carnifex, qualem Iudæi faciebant Pilatum; nisi hic esset maleficus, non tradidissemus eum &c.*

Verba sunt statuti Anglicani A. 1. Elizabethæ. *Iudices constituti diplomate regio, non adjudicabunt quicquam hæresim esse quod non prius adjudicatum fuerit primitus authoritate canonicarum scripturarum, aut primorum 4. conciliorum, aut cujusquam alterius concilii, in quibus pro hæresi id habitum & declaratum est expressis scripturæ verbis, aut deinceps determinabitur & definietur hæresim esse à suprema curiâ Parlamenti, consentiente quoque clero in convocatione.*

Huc pertinent alia statura quibus *sancitur omnem jurisdicendi authoritatem atque etiam jurisdictionem omnimodam, tam illam quæ Ecclesiastica dicitur, quam quæ secularis à regiâ potestate velut supremo capite emanat.* Et ejusmodi. *Omnem Ecclesiasticam & spiritualem jurisdictionem coronæ esse annexam, ad visitandum reformandum corrigendum & emendandum omnes hæreses schismata, abusus, offensas, contemptus & enormitases qualescunque.* Et eatenus Pet. Martyr & Reynoldus vocarunt Regem caput Ecclesiæ. Vide Martyr in 1. Samuel cap. 8. ubi eadem Regi Angliæ tribuit quæ olim Imperatoribus concili

lia & ipſi ſibi. Marcianus Imp. in Synodo VI. Chalcedonenſi ait *ſe daturum operam ut quæcunque à Synodo piè ac decenter conſtituta ſunt in perpetuum rata maneant.* Sane ne Pontificii omnes ſcriptores denegarunt magiſtratui titulum capitis Eccleſiæ. notanda ſunt verba Claudii Faucheti tract. *des libertes de l'Egliſe Gallicane* in 4. anno 1612. p. 234. & an. 1639. p. 179. *hæc docent illius temporis Epiſcopos exiſtimaſſe Regem aſſiſtentem conſilio ſtatus eſſe ſecundum Deum caput terrenum Eccleſiæ in ſuo regno.*

Synodus Arelatenſis ſubjicit canones à ſe conditos judicio & examini Car. Magni. *Hæc igitur ſub brevitate quæ emendatione digna proſpeximus quam breviſſimè adnotavimus & divini Imperatori præſentanda decrevimus, poſcentes ejus clementiam, ut ſi quid hic minus eſt, ejus prudentiâ ſuppleatur, ſi quid ſecus quam ſe ratio habeat, ejus judicio emendetur, ſi quid rationabiliter taxatum eſt, ejus adjutorio divinâ opitulante clementiâ perficiatur,* Rivet. in Decalogum p. 1375. *Saul fuit caput populi Dei quamvis impius & injuſtus,* Ibidem facit triplicem unionem membrorum Eccleſiæ. 1. per veriſſimam unionem, ut eſt fidelium. 2. per externam agglutinationem & profeſſionem. 3. ratione muneris, officii, loci poteſtatis : Et eatenus vult magiſtratum eſſe caput Eccleſiæ. Idem p. 1374. col. 2. *Magiſtratus non agat ex aliorum præjudicio, ſed ſuo etiam utatur judicio.*

Lud. Capellus de poteſtate & regimine Eccleſiæ Theſ. 42. licet regimini aſſuetus in quo non refertur de definitis in Synodo ad Magiſtratum, tantundem ei tribuit quod Martyr aut Reynoldus cum eum vocant Eccleſiæ caput. *Is eſt utriuſque divinæ legis tabulæ vindex atque cuſtos*

ad quem propterea pertinet etiam paſtores ſi ceſſent aut peccant in officium monere, objurgare & ubi opus fuerit, caſtigare; denique proſpicere atque providere ut omnia, tum in Eccleſiâ, tum in republica ſeu politiâ rectè & ordinatè fiant, utque ordinis legitimè conſtituti turbatores & violatores pro merito puniantur. Hic obſerva ut error ſecum ipſe confligit; nam etiam vindices acerrimi poteſtatis Eccleſiaſticæ & independentis à magiſtratu dum dicunt magiſtratui non eſſe prædicare Evangelium, ſacramenta adminiſtrare, excommunicare & exauctorare, ſed tantum curare ut ſint in republica qui hæc & præſtent & rite præſtent, hoc ipſo magiſtratum conſtituunt ſupremum gubernatorem & caput Eccleſiæ, & per id poteſtatem ſuam Eccleſiaſticam deſtruunt quæ poteſtati magiſtratus non eſt ſubordinata. quod ſi percurrantur omnes hominum ordines & functiones in vita humana, videbitur magiſtratum minime facere medicinam, nec inſtituere pueros in ludo literario, nec docere in Academia, nec plectere ſontem gladio, ſed curare ut in republica ſint qui hæc præſtent; quod ſane idem eſt ac habere ſummam poteſtatem, ſummum imperium, ſummumq; judicium de perſonis & actionibus medicorum, ludimagiſtrorum, profeſſorum & lictorum; neque enim cuiquam par aut æqua cura ſed ſumma & ultima competit cujus curæ nemo curam habet aut præeſt.

Si erravi dicendo eam eſſe naturam cla
vium & regni Dei, perſuadere, animum
flectere; corpora non cogere: errav
cur

eum Riveto, Meſtrezatio, Amyraldo, &c.

Lactantius lib. 5. Inſtit. cap. 19. *Non eſt opus vi & injuriâ, quia religio cogi non poteſt: verbis potius quam verberibus res agenda eſt ut ſit voluntas,* Camero de Eccleſiâ tom. 1. p. 386. *Eccleſiæ regimen minime eſt coactivum: ratio eſt quia habet pro proprio & adæquato objecto conſcientiam quæ cogi non poteſt,* Amyraldi de Gubernation. Eccleſiæ. *Via Eccleſiaſtica ſit potiſſimum perſuadendo & inſtruendo, nullâ adhibitâ vi & coercitione actionibus externis: regulat motus internos dum ſatisfacit conſcientiæ.* Rivetus in Pſal. 110. Diſtinguit regnum Dei à regno civili. *Quod in regno Chriſti non locum habet coactio, ſed tantum directio, non enim vi coguntur homines ad obedientiam Chriſto præſtandum;* ſed habet *populum collectum verbo, non coactum gladio.* Inde formatur hanc definitionem veræ Eccleſiæ, ut ſit, *cætus populi Dei ſpontanei, qui ſe totum in obſequium tradit, per Spiritum ſanctum regenerati.*

Si dixi Scripturam ſacram, tum naturam, rationem & ſapientiam humanam duas tantum proponere vias, per quas quis ad obſequium moveatur; videlicet, vel per viam conſilii, vel per viam imperii; hoc eſt vel perſuadendo, hortando, declarando animi ſenſa dere quæ fieri debeat, vel imperando

& simul cogendo; id dixi cum Rev. Riveto, & consuetudine omni seculo loquendi & agendi; immo cum ipsa scriptura.

2. Thess. cap. 3. v. 12. *Iubemus vos & hortamur per Dominum Iesum.*

Rivet. to. 1. p. 1371. *est aliqua magistratus subjectio collegio Ecclesiastico, sed quæ Iurisdictionis non est ut sub imperio, verum directionis & consilii,* & p. 1374. *dicimus magistratum à nullo pendere, ita ut non excludamus consilium sed imperium; aliud enim est consilio uti, aliud se imperio subjicere.* Paræneſ. p. 56. docemus probos linguæ Latinæ authores nihil unquam interposuisse imperio & consilio. quod quidem, idque unicum telum in ædificatores vibratum, potestatem Ecclesiasticam diruit & imperium in imperio evertit. Sane Pastor hortatur consulit; potestas externa imperat jubet cogit; pastor declarat, censet imperium excludendum esse; potestas externa & humana actu excludit. Ita loquitur Ant. de Dominis lib. 5. de Rep. cap. 1. *Nos potius Episcopi & ministri declaramus esse excludendum, quam actu corporali excludimus.* hic actus est imperii & jurisdictionis, ille consilii. Quod si pastor declarat Mævium esse excludendum, isque nolit excludi, non novi aliam viam, per quam excludatur præter cogentem externam & humanam; quæ mihi perinde est quo nomine vocetur, an civilis, politica, an laica & magistratus potestas; nam ut ut appelletur, certum est potestatem Ecclesiasticam hic non posse se inferre aut habere locum, cum nec per viam consilii,

conſilii, nec per viam imperii & coactionis excludat, ſed medio modo nondum cognito; certe non Antonio de Dominis lib. 5. de rep. c. 2. *Nihil ſine poteſtate laica obtinebimus, neminem Eccleſiaſtica poteſtate poſſumus extrudere abripere, expellere* : neque etiam Calvino qui laicam in ſubſidium Eccleſiaſticæ vocat, diſcipl. Genev. inter Epiſtolas, p. 125. *ſi quis contumaciter ſpreto conſiſtorii judicio ad menſam ſacram ſe ingerat, repellatur à miniſtro*: nempe credidit vir magnus excommunicationis ſententiam mere conſilium eſſe & ſententiam ſeu declarationem animi, niſi accedat vis & coercitio. & revera, qui non poſſunt cogi gladio ſpiritus & verbi, debent gladio magiſtratus & poteſtatis externæ plecti: ſi neque his duobus emendari queunt, non alius gladius occurrit nec in ſcriptura nec in rerum natura, neque in ratione quo immorigeri ad officium redeant.

Si erravi affirmando verba *Tollite*, &c. 1. Cor. 5. intelligenda de traditione Satanæ, erravi cum Calvino, Bezâ & omni turbâ Theologorum, qui excommunicationem & traditionem Satanæ ſumunt pro unâ eademque cenſurâ.

Gualterus Homil. 27. in 1. Cor. 5. pag. 13. *Vitur locutione quæ frequens in lege occurrit, auferes malum ex medio tui : ex quo rurſus apparet eum non excluſionem à cœnâ Domini intellexiſſe, ſed ut ſupplicio graviori multandum Satanæ tradatur ad carnis interitum.*

Si

Si itidem male affirmavi traditionem Satanæ non esse intelligendam de excommunicatione, tum erravi cum rever. Parente, Capello, &c.

Petr. Mol. Vatis lib. 1. cap. 11. Verborum ait sensum esse hunc. *Constituit incestum tradere Satanæ qui corpus ejus contereret doloribus, & duriter affligeret, ut hoc cruciatu tactus pœnitentiâ, posset servari die judicii & anima ejus salutem adipisceretur.*

Gualterus Homil. in 1. Cor. 5. *Jubet Satanæ tradi ad interitum carnis ut spiritus salvus sit in die Domini Iesu, id est, ut quoad carnem multetur, & ea ratione peccatum suum agnoscat, ad Deum convertatur & animam suam ab interitu sempiterno servet.*

Arch. Spalatensis lib. 5. cap. 9. 8. 14. *Non ergo traditio illa Satanæ fuit major excommunicatio, sed miraculosa aliqua corporis infirmitas, & flagellum quo castigatus ille resipisceret.*

Lud. Capellus ad Ioh. 9. p. 22. de niddui & cherem verba faciens, dicit. *Traditionem Satanæ de quâ Apostolus, longe aliud fuisse & veteribus Iudeis prorsus ignotum.*

Si male affirmavi rempublicam Iudaicam non fuisse distinctam ab Ecclesiâ Synedriis & jurisdictionibus, erravisse me fateor cum Amyraldo, Cunæo, Seldeno, Tostato, &c.

Amy-

Amyraldus libr. de Gubernatione Eccleſiæ p. 46. *Idem homo judicabat Iſraelem ut ſummus magiſtratus, & præerat de rebus de religione ut ſummus Pontifex.* Idem tractatu de ſumma authoritate Regum p. 42. *caput ſacerdotum habebat jus vitæ & necis, quando reſpublica gubernabatur ariſtocratice.*

Toſtatus in Matt. 16. p. 19. *In veteri Teſtamento non erat neceſſaria juriſdictionum diſtinctio, quia erat unus populus & gens & unicum templum in quo conveniebant omnes Indei, ideo cum poſſent convenienter gubernari exiſtente unitate juriſdictionis, non debuit dari diſtinctio, immo fuit valdè conveniens eſſe identitatem juriſdictionis, ut ſic crederetur eſſe unus & idem Deus, cui omnes illi miniſtrabant: eadem enim fuit cauſa de templo, voluit enim eſſe unicum locum in quo ſacrificia ſibi fierent, ne ſi in pluribus locis hoc fieret plures eſſe dii putarentur.*

Si perperam dixi Eccleſiam & rempublicam ab iiſdem perſonis gubernari poſſe propter magnam ſocietatem quæ intercedit inter functionem ſacram & functionem magiſtratus, erravi cum Amyraldo.

Amyraldus lib. allegato cap. 8. p. 244. *Ordo ſeu regimen Eccleſiæ & ordo politiæ quædam habent quæ communia videntur & quæ propemodum ex æquo adminiſtrari poſſunt, tam à cœtibus Eccleſiaſticis, quam à poteſtate magiſtratuum.* Videat lector an Amyraldus Amyraldo congruat, an potius

potius hæcce non pugnent cum iis quæ dixit cap. 3. p. 91. *Quisquis hasce duas potestates tradit in manus earundem personarum, non solum Ecclesiam Dei in infantiam reducit, quasi etiamnum esset sub pædagogia legis, sed & conjicit in eam confusionem, à quâ eam defendebat status illorum temporum.*

Si dixi nullum extare in Scripturâ Sacrâ schema regiminis Ecclesiastici, id affirmavi cum Camerone Mestrezatio & Amyraldo.

Camero de Ecclesiâ p. 360. *Non opus habet Ecclesia certis legibus, quia est virorum adultorum; non puerorum sub pædagogo,* mox *non est Ecclesia certis circumstantiis alligata.*

Mestrezatius tractat. de Ecclesia lib. 3. cap. 10. *Nihil in externo ordine & politia circa cultum Divinum specialim definivit Deus, sed tantum præscripsit ut omnia decore & ordinate peragantur.* Qui non inveniunt in Sacrâ Scripturâ certum regimen aut certas leges quibus potestas Ecclesiastica exerceatur, in æternum hærebunt circa ipsam potestatem. optimè incerta potestas incertis legibus congruit.

Verba sunt clar. viri Edoardi Brerewood Angli in explicat quarti præcepti pag. 34. *Lex vetus continet plurimas decisiones, tum in præceptis ceremonialibus de modo divini cultus, tum in judicialibus de pace & justitia servanda inter homines. Sed nova lex (cum sit lex libertatis) non imponit hasce constitutiones, sed contenta est tribus generibus præceptorum. 1. continet moralia præcepta. 2. articulos*

culos fidei. 3. Sacramenta: res verò omnes quæ pertinent ad definitiones aut modum particularem ſeu cultus Divini, ſeu humanorum judiciorum permittuntur à Chriſto libertati rectorum Eccleſiæ & Principibus nationum, ut de eis ſtatuant; ut jam particulares illæ conſtitutiones ſint de jure humano.

Si male affirmavi Eccleſiam particularem primum eſſe ſubjectum Eccleſiaſticæ diſciplinæ & à quoquam cœtu aut Eccleſiâ independente, erravi cum Vignerio, Ameſio, Meſtrezatio & Amyraldo.

Vide cap. 17. noſtræ Parenæſeos. inſignis locus eſt Spanhemii Epiſt. ad Buchananum *Eccleſia particularis nihil habet poteſtatis in aliam, ſed omnes ſunt collaterales, æqualis juris ac authoritatis.*

Meſtrezatius ad verba Matthæi cap. 18. *Dic Eccleſiæ. Evidens Chriſtum non loqui de Eccleſiâ univerſali, ſed de ordine qui conſtitui debet in unaquaque Eccleſiâ particulari ad regimen fidelium & morum correptionem.* Et paulo infra, *Quam latecunque demum ſe porrigant cœtus Eccleſiarum, quandoquidem eorum convocationes & communicationes in ſolo ordine fundentur, quem Ieſus Chriſtus præſcripſit in gratiam uniuſcujuſque Eccleſiæ particularis, hoc Mathæi loco, Si frater tuus peccavit, item Dic Eccleſiæ, ſequitur nullam promiſſionem proſperi eventus & benedictionis obtendi poſſe præter eam quæ confirmatur Eccleſiæ particulari cujuſque loci.*

Si

Si perperam dixi in communione Ecclesiarum sub Dominis Pontificiis unamquamque Ecclesiam plenum sibi jus servare debere, præsertim in rebus magni momenti, qualia sunt dogmata fidei, ut suum judicium non mancipet decretis Synodi, nisi prius sententia sua vel rogatâ à Synodo, vel ultro cum Synodo communicatâ, tum fateor me erravisse cum Amyraldo.

Amyrald. de Conciliorum auctoritate Thes. 28. *Alibi diximus pulcherrimum & saluberrimum esse earum Ecclesiarum institutum quæ conciliorum decreta ad res magni momenti, qualia sunt dogmata religionis pertinentia rata esse noluerint, nisi prius consultis Synodis & Ecclesiis particularibus, quarum quæque symbolam suam ad veritatis elucidationem conferat.*

Si dixi missionem pastorum non residere in pastoribus, sed in totâ Ecclesiâ, id affirmavi cum Mestrezatio & magna theologorum turba; nominatim Blondello integro tractatu de jure plebis in regimine Ecclesiæ.

Mestrezatius lib. 2. de Ecclesia cap. 13. & 14. *Pertendimus jus missionis residere non in personis episcoporum*

epiſcoporum, ſed in unaquaque Eccleſiâ particulari, & corpore fidelium eo modo, quo in rebus publicis popularibus jus eligendi magiſtratus & ad munus cooptandi ad corpus populi pertinet quo reſpublica componitur.

Si dixi impoſitionem manuum in ordinatione, conducere non ad integritatem actionis, ſed tantum ad ejus decus, erravi cum Melanchtone, Bullingero, Muſculo, Martyre, Meſtrezatio, &c.

Martyr. loc. conc. Claſſ. 4. cap. 1. *Hæc dicunt quaſi manuum impoſitio, ita ſit neceſſaria, ut citra eam non poſſit eſſe Miniſterium in Eccleſiâ, cum tamen Moſes conſecraret Aaronem fratrem ſuum & liberos ejus varia offerentes genera ſacrificiorum quibus à nemine antea manus impoſitæ fuerunt, Iohannes item Baptiſta, novum ritum baptiſmatis induxit & Hebræis præbuit, cum tamen illi manus impoſitæ non fuerint.*

Meſtrezatius lib. 2. cap. 13. *Oratio eſt de eſſentiâ conſecrationis ad miniſterium; impoſitio verò manuum ad actionis tantum decus confert.*

Si dixi judicii privati eſſe ultimò conſtituere de decretis & definitis in Synodis, id affirmavi ſecundum Auguſtinum, Meſtrezatium & Amyraldum.

Vide

Vide Paræneſeos noſtræ cap. 9. p. 161. Amyraldus de conciliorum authoritate poſtquam docuit Patres in Synodis qui ſymbola Eccleſiis tradiderunt, non propoſuiſſe quaſi à ſe confictos articulos, ſubjicit, *Non tantum ſignificarunt ſe è ſcripturâ articulos collegiſſe veros, certos, evidentibuſque teſtimoniis ſubnixos, quos amplecti eos oporteret, qui pro veris & orthodoxis Chriſtianis haberi vellent, quod autem fideles in eandem ſententiam traxerunt, ut articulos illos tales eſſe, & crederent & faterentur, id non impetrarunt authoritate ſuâ, ſed veritatis evidentiâ, in quam cujuſque fidelis conſcientia conſentit.* Nihil ſanius dici potuit & magis ad noſtram mentem, ut doceat Synodos tantum declarare ſenſa ſua; nec leges unquam ferre cuiquam, niſi quem perſuaſerint, & in quas cujuſque conſcientia conſenſerit: ac proinde fruſtra Synodum ferre legem in quenquam, quæ vim habeat excommunicationis, niſi is quem attingit in eam legem conſenſerit.

Si dixi canones & decreta Synodorum nullam vim in foro externo habere obligantem vel ad obſequium, vel ad pœnam, niſi rati & confirmati fuerint à magiſtratu, id aſſerui cum Bullingero, Martyre, Pareo, Reynoldo, Iuello, Riveto, Walæo & Rutherfortio, &c.

Walæus acerrimus propugnator poteſtatis Eccleſiaſticæ

ſiaſticæ inſtar omnium erit is tom. 2. p. 39. *Fatemur canones Eccleſiarum, non obtinere vim & robur civilium legum niſi à magiſtratu Chriſtiano approbentur; ſed in tantum tamen conſcientias obligant, quatenus ſcilicet, vel in verbo Dei expreſſi ſunt, vel eorum tranſgreſſio conjuncta eſt cum notorio ſcandalo.*

Vide noſtram Paræneſin. p. 95. Ubi docemus hunc locum Walæi ſolitarium ſubruere à fundamentis totum ædificium Ædificatorum imperii in imperio.

Eadem quæ Walæus loquitur Ruterfortis libro de de regimine Eccleſiæ cap. 25. qu. 21. p. 568.

Si erravi evertendo diviſionem legum in civiles & Eccleſiaſticas, habeo Muſculum, Gualterum, &c. erroris mei authores.

Muſculus loc. com. de Magiſtratibus hanc diviſionem legum ſolidiſſimè evertit. *Quid prohibet quo minus & Eccleſiaſticum ſit & illud quod nec ab Eccleſiâ ipsâ, nec nomine ac poteſtate Eccleſiæ, ſed à Magiſtratu nomine ac poteſtate Dei in ipſius Eccleſiâ & ad bonum Eccleſiæ procurandum, malumque reprimendum geritur, præcipitur ac ſtatuitur: an non erunt leges ſcholaſticæ, quæ non ab ipsâ ſchola, non à ſcholæ magiſtro, ſed à magiſtratu ad ſcholæ præfectus uſum conſtituuntur? an civiles leges non erunt, niſi quæ à civibus, vel à poteſtate civium ſtatuuntur; ita rectè Eccleſiaſticæ vocantur quæ in uſus Eccleſiæ ab Imperatoribus & Magiſtratibus ſanciuntur.*

Si perperam dixi parendum esse magistratui de quâcunque re leges ferenti, erravi cum Confessione Belgica, dicente magistratui obtemperandum esse in omnibus quæ verbo Dei non repugnant, Articulo 36.

Magistratus ipsam religionem jubet, ac proinde omnia quæ religio comprehendit, Iustinianus in codice de fide Catholicâ habet hanc legem, *Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium in tali volumus religione versari.*
Et Sozomenus lib. I. cap. IV. ait Theodosium rescripto impetasse ut universi subditi eam amplecterentur religionem quam Petrus Apostolorum Princeps Romanis ab initio tradidisset, & quæ Damasus Romæ, & Petrus Alexandriæ Episcopus conservarent.

Si erravi dicendo pastores nullam habere potestatem legislationis nec leges ferendi in Ecclesiâ, sed tantum tradendi, repetendi & recitandi quæ audierunt & acceperunt à Deo, erraviſſe me fateor cum Melanchtone, &c.

Melanchton in Chronico lib. 3. in Claudio. *Hi qui contendunt Synodos habere authoritatem condendi novas leges, quas amplecti Ecclesiam necesse sit, citant*

citant decretum in eâ Synodo factum de idolothytis scortatione, suffocato & sanguine: ad hanc objectionem, respondendum est, scortationem & esum idolothytorum prohiberi universaliter omnibus temporibus authoritate decalogi, ergo quod ad ista attinet, nihil novi constituerunt Apostoli, sed tantum repetierunt decalogum, qui est lex aeterna & immutabilis.

Si dixi imperitiam rerum theologicarum in Magistratu non impedire, quominus habeat ultimum judicium de sacris, secutus sum sententiam doctorum tum Theologorum, tum Iurisconsultorum.

Dionysius Carthusianus in Matt. 16. p. 19. *Dicit parem rationem esse Ecclesiasticorum judiciorum quae secularium, non aequum esse eum authoritate judicandi excidere, qui juris scientiam non habet, quemadmodum in secularibus judiciis, quidam habent authoritatem judicandi non habentes juris scientiam, & quidam viceversa habent scientiam juris non autem authoritatem exercendi judicium, &c.*

Hadrianus Saravia licet acerrimus vindex Episcopalis ὑπεροχῆς lib. 3. de Imperandi authoritate & Christiana obedientia cap. 39. ait causas imperitae rei controversae non obstare quominus magistratus judicet & retractet Ecclesiastica judicia. *Quid [inquient] vis Ecclesiastica judicia à rege aut alio supremo judice retractari? Quidni in rebus quemadmodum jurisconsultorum, medico-*

rum & textorum & fabrorum controversiæ, si inter eos tanti momenti suboriantur lites, & interponi supremi Imperii authoritatem necesse sit, deferuntur ad regis tribunal, episcoporum & theologorum etiam tandem deferuntur, non enim minus principi deerunt episcopi ac theologi qui cognoscant citra personarum delectum de hæresi, aut de injustâ excommunicatione, quam jurisconsulti de jure, medici de medicina, textores de lanificio & fabri de rebus fabrilibus judicent.

Si dixi eandem potestatem idemque officium jus, judicium & imperium circa sacra competere magistratui ethnico & idololatræ, quod Christiano & orthodoxo, id affirmavi cum confessione Basilienſi, cum Riveto, & Triglandio.

Confess. Basil. ad articul. 6. quo partes magistratus in regno Dei propagando asseruntur, annotat, *hoc officium etiam gentili magistratui injunctum fuit, quanto magis Christiano magistratui commendatum esse debet ut vero Dei vicario.*

Rivet. tom. 1. p. 1375. *in infideli principe non est defectus potestatis, sed voluntatis tantum*, Trigland. cap. 16. libr. de potestate civili & Ecclesiastica, p. 317. *penes potestatem civilem est judicare & statuere de religione quam in publico inter subditos suos velit exerceri, si veram religionem removet & falsam ei substituit, abutitur quidem potestate sua, non tamen ipsi neganda potestas.*

Si

Si erravi dicendo ſynodorum judicia non obligare quenquam, niſi quatenus ei videntur conformia cum verbo Dei, tum erravi cum Mareſio, Ruterforti & Amyraldo.

Mareſius coll. Theol. Luc. 16. theſ. 78. *Decreta non obligant conſcientias qua judicio conciliorum ſed qua Dei verbo conformia, quo reſpectu ſunt adhuc reviſioni obnoxia multo magis quam ipſæ Paulinæ conciones.*

Ruterfortis Libro allegato cap. 25. quæſt. 21. p. 568. *Magiſtratus non magis tenetur judicio Synodi aut Eccleſiæ quam privatus quiſque: obligatio in diſciplinâ & in omnibus Synodalibus actibus & definitionibus, eo modo ſe hic habet ut in prædicatione verbi; vinculum eſt ſecundum conditionale, cum limitatione quoad concordat cum verbo Dei, non abſolutè obligans, quia papale aut imperatum, aut definitum ab Eccleſiâ: atque ejuſmodi tum Magiſtratus, tum Chriſtiani omnes, quando pugnant cum verbo Dei, aut nullâ authoritate Divinâ nituntur rejicere poſſunt.*

Amyraldus p. 196. Dicit *authoritatem ubi eſt deſtituta lumine veritatis, non eſſe inſtrumentum bonum ad regimen Eccleſiæ.* Et p. 198. & 199. *Verum quidem eſt ſolam authoritatem conciliorum nos non debere impellere ad recipiendum religionis dogma, cognitio veritatis rei ipſius debet eſſe præcipuum fundamentum.*

Si erravi dicendo presbyterium ſub-

esse magistratui, ut collegium medicorum subest ei, magistratum verò parere presbyterio, ut magistratus decumbens & æger paret medico, erravi cum Camerone, Riveto, Matesio, & aliis.

Camero in Matt. 18. p. 15. *Ista inter se non pugnant idem ut imperet collegio Ecclesiastico & pareat, imperat enim quemadmodum medico imperat rex, & paret ut paret medico.*

Rivetus in decalog. *Est aliqua magistratus subjectio collegio Ecclesiastico, sed quæ jurisdictionis non est ut sub imperio, verum directionis & consilii.* Eadem ratio est Imperii pastorum in privatum, cum ex æquo obnoxius sit magistratus imperiis pastorum aut presbyteris ac minimus de plebe. Idem ibidem: *Addo posse unum & eundem magistratum imperare collegio Ecclesiastico & parere, quomodo rex imperat & paret medico, imperat enim medico quâ civis est in eumque suam jurisdictionem exercet si peccat, ut si loco medicinæ venenum propinet: at medico paret, non solum cum æger est, ad præscriptum illius vivendo, sed etiam cum sanus est, & quatenus magistratus in iis quibus debet consulere reipublicæ ne morbi in eam grassentur.* Nota, si par ratio imperii & obsequii, ut animadvertit magistratus in medicum venena propinantem, sic etiam in pastorem veneno doctrinæ suæ populum inficientem. Ibidem ait subjectionem religiosam magistratus (ac proinde cujusvis de plebe) pastori aut senatui Ecclesiastico esse subjectionem rationi & veritati, quia

quia judicio rationis judicat parendum eſſe perito in ſua arte.

Si dixi judicia paſtorum in Synodis referre judicia medicorum conſultorum ſuper ægri valetudine, quorum nulla poteſtas eſt judiciaria, fateor me erraviſſe cum Camerone & Mareſio.

Mareſius coll. theol. loc. 16. 577. *Miniſtri Eccleſiæ in concilio non tam referunt judices ad ſenatum evocatos quam doctores prudentes & peritos ad conſilium coactos; & quæ eſt medicorum conſultatio circa valetudinem corporis, talis eſt Synodorum conſtitutio in rebus ad animam ſpectantibus.*

Si dixi contra Walæum Thyſium, &c. à judicio Synodorum & presbyterio appellationem debere inſtitui, atque id dicendo erravi, erraviſſe me fateor cum Riveto, Maccovio, Polyandro, &c.

Rivetus in decal. *Miniſtri quatenus miniſtri ſunt ſummi magiſtratus ſubditi, cur autem à ſubditis & eorum judicio, non liceat provocare ad ſummum magiſtratum & cur ſupremo magiſtratui judicia ſubditorum recognoſcere non liceat; ſi bona, rata habere; ſi mala abolere.*

Polyander disput. 50. Synop. *Magistratus penes quem summa est imperii potestas, disciplinam illam aut præsens approbare, aut absens examinare potest, & si quid in ea desideratur, à pastoribus exigere, ut illud ex verbi Dei analogia addatur & emendetur.* Hujus loci esset exemplis edocere magistratum reformatum jure sibi semper assumpsisse ultimum judicium de decretis definitis & censuris latis in Synodis & presbyteriis, astipulantibus etiam viris de grege presbyteriano, ut fecit Vir magnus Ioh. Diodati in sententia tam perperam lata à presbyterio Genevensi in reverendum & clarissimum virum Alexandrum Morum, quam merito evocata & rescissa à Senatu Genevensi. Possem etiam ad testimonium allegare presbyteria Ecclesiæ Sedanensis quorum judicia Princeps ipse præsens aut per delegatos solebat vel recognoscere vel rescindere, aut rata habere, ut factum est in causa Danielis Tileni, nec non pastorum Dori & Raulini, nusquam orthodoxis pastoribus conquerentibus ut solenne fuit fratribus Scotis, per eam recognitionem pastoralium judiciorum à magistratu, privilegia Ecclesiæ decurtari & transitum fieri ad regnum Iesu Christi: quin moris erat ut magistratus Sedanensis, ut Ecclesiæ, sic Academiæ leges figeret, usque adeo ut nec quicquam publicè prælegeretur aut disputaretur nisi ejus mandato & præscripto: quandoque etiam ab eo expunctis quæ videbantur imminuere aut præcidere jura magistratus, licet essent disputationes jam typis mandatæ.

Si dixi cœtus pastorum sub magistratibus orthodoxis potius esse consilia,

lia, quam concilia in quibus paſtores conſpectus ſunt fidorum conſiliariorum, quos ſumma poteſtas conſulit ſuper rebus arduis, puto tantundem dixiſſe Rivetum.

Rivet. explic. decal. *Hæc ergo duo jungimus, ut magiſtratus non agat ex aliorum præjudicio, ſed ſuo etiam utatur, non ut omne judicium in talibus & quidem ſoli tribuatur, ſed ſuæ etiam partes miniſtris Eccleſiæ reſerventur, ut non nitatur ſuo arbitrio, ſed in conſilium adhibeat Eccleſiæ paſtores, convocet concilia, in illis pios & eruditos viros ex ſacris literis, de controverſiis religionis & fidei articulis diſſerentes audiat, veritatem ex iiſdem ſcripturis probatam amplectatur & propaget.* Hic multa paucis exhibet nobis Vir reverendus & mirùm ni totam controverſiam decidat de naturâ authoritatis & poteſtatis ſynodorum, tum judicii & juris paſtorum in conciliis ſedentium, ut concilium ſit conſilium aſcitum à magiſtratu, paſtores in eo judicia ſua proferant & declarent: judicia paſtorum probata à ſe & ſecum conſtituta congruere cum veritate Divinâ rata habeat magiſtratus, ſanciat & jubeat ſi non recipi, ſaltem ire in vulgus.

Si affirmavi magiſtratum jure ordinare, aut exauctorare paſtores, quatenus ejus mandato & auctoritate id fit, id dixi cum Rev patruo Riveto.

In

In explic. Decalogi pag. 1375. tom. 1. vol. in folio. *Rex ſive alius magiſtratus ut non ordinat, ſic nec deponit formaliter, ut ita loquamur, vel adminiſtratorio per ſe ipſum, id tamen facit non ſolum conſilio, ſed & mandato & authoritate quia mandare poteſt, ubi ſubeſt juſta cauſa, de miniſtro exauctorando, penes quos hæc poteſtas in Eccleſia viget, qui quidem in hoc caſu, ubi nempe juſta cauſa ſubeſt niſi parent & quod jubent faciunt, obnoxii ſunt, non ſolum iræ, ſed etiam Divino judicio.* Muſculus locis com. ait, *paſtorem Chriſtianum de vocatione ſua ſolicitum eſſe non debere, neque ambigere quin Chriſtiana ac legitima ſit ſua vocatio ubi ad Evangelium prædicandum à pio magiſtratu ac principe vocatus eſt.*

Amyraldus tractatu de ſummarum poteſtate Regum p. 50. & 67. ait ſummam poteſtatem in Iſraele formaliter exauctoraſſe ſummum ſacerdotem; & Salomonem pro jure Majeſtatis de poſuiſſe & ſacerdotio exuiſſe Abratharem: cum autem ibidem idem jus majeſtatis tribuat magiſtratui democratico & ariſtocratico quod Monarchico; atque hodierno & priſco juxta, non video ſi magiſtratus poteſt majeſtatis jure exauctorare puta ſummum Sacerdotem aut Archiepiſcopum, cur pari jure non exauctorabit quemvis alium de inferioribus ordinibus paſtorum, aut cur actus exauctorandi non erit actus juriſdictionis adeoque magiſtratus: neque enim Salomon exauctoravit Abratharem quatenus aut propheta aut unctus in ſacerdotium.

Si erravi dicendo excommunicationis nullum eſſe uſum ſub magiſtratu

tu orthodoxo, tum erravi cum Zwinglio, Muſculo, Bullingero, Gualtero & medico Burdegalenſi in Synodo Rupellenſi. Aº 1571. Si id afferentes vocavi pios & doctos viros, id dixi cum Calvino Epiſt. ad Tigurinos paſtores.

Bullingerus ep. ad Dathenum dicit anno 1531. hanc fuiſſe Zwinglii ſententiam in colloquio cum anabaptiſta. *Apoſtoli ſub ethnico magiſtratu vixerunt, qui tamen ſcelera non punierunt, à quibus quiſque Chriſtianus abhorrere debet. Sed ut Eccleſia pœnam aliquam ſcelerum haberet, admonitionem aſſumpſit & excluſionem, quia gladio, qui ipſis minimè committebatur punire non poterant, & hæc quidem cauſa excommunicationis fuit: quia vero jam Chriſtianus magiſtratus, ſcelera ipſemet ſuppliciis coercet, ideo excommunicatio non amplius neceſſaria erit.*

Eandem fuiſſe ſententiam Bullingeri & Muſculi refert Beza Ep. ad lectorem præfixa tractatui de excommunicatione & presbyterio. Vide Paræneſim noſtram, p. 84. & 85. Imprimis notanda verba Bullingeri ad Dathenum dicentis. *Eccleſiam veram eſſe poſſe quæ excommunicatione hac careat, rurſus tamen contendimus diſciplinam in Eccleſia eſſe debere, ſed ſatis eſſe ſi adminiſtretur à magiſtratu.*

Calvinus Ep. ad Tigurinos miniſtros. *De excommunicatione non omnes idem ſentiunt; nec me latet pios & doctos eſſe homines, quibus ſub Chriſtianis principibus non videtur neceſſaria eſſe excommunicatio.*

Si

Si perperam dixi neminem unquam excluſum fuiſſe ab eſu paſchatis propter vitam impuram, tum erravi cum Gualtero & aliis.

Gualt. Ep. ad The. Bezam, *In lege olim eos qui peccarant, non à tabernaculo & ſacris concionibus excluſos, ſed potius juſſos fuiſſe legimus, ut pro delicti ratione ſacrificium facerent, & cum ob legalem immunditiem, quæ in corpore hærebat, à ſacrorum uſu arcerentur, neminem tamen propter delictum aliquod reſectum fuiſſe conſtat.*

Si error eſt dicere excommunicationem eſſe figmentum humanum, is fuit Wiclevi, &c.

Concil. Conſtant. faſcicul. rerum expet. fol. 136. *Vnum eſt ſolatium Eccleſiæ fideli quod excommunicatio & ſuſpenſio & omnes tales cenſuræ mendaciter & fictæ, non ſunt in Chriſti lege ſua fundatæ, ſed ab Antichriſto callidè machinatæ.*

Si dixi excommunicationem ideo figmentum eſſe humanum quia ejus vindicibus nondum conſtat quæ ſit ejus ratio formalis, an excluſio à cœtu, an ab Euchariſtia? An ferenda à ſenatu Eccleſiaſtico? an à paſtoribus ſolum,

ſolum, an à totâ Eccleſiâ an etiam aſcito in ſocietatem operis magiſtratu? nihil perperam à me dictum luce meridianâ clarius apparebit, factâ ſyndrome teſtimoniorum à nobis allegarorum paſſim in paræneſi noſtra.

Sanè Bucerus in Matth. 18. vult excommunicationem irritam eſſe ubi magiſtratus non concordat cum maximâ parte populi in eadem religione. Beza vult excommunicationem eſſe actum totius Eccleſiæ. Alii qui per Eccleſiam, Matt. 18. volunt paſtores intelligi, pertendunt excommunicationem eſſe ſententiam latam à ſolis paſtoribus. Patroni Epiſcopales ὑπερχῆς nolunt promiſcuè ad omnes paſtores pertinere eam ſententiam ferri, ſed ad ſolos epiſcopos, quibus ſolis dictum ajunt à Chriſto: *Ego dabo tibi.* & *Mitto vos*, ita enim loquitur Vir longè doctiſſimus Henricus Hamondus Tractatu de poteſtate clavium cap. 6. ſectione 46. ad theſim. 9. Eraſti. Huic ſi creditur nulla poteſtas ſupererit excommunicandi ubi paſtorum ἰσονομία.

Tiraquellus tractatn Gallico. *Du retraict lignager. Excommunicationem quam vocamus, ab antiquorum & Græcorum & aliorum ritibus ortum habuiſſe videri poteſt, non à Divo Paulo, ut canoniſtæ & theologi opinantur.* Vide Par. 262. &c.

Si dixi poteſtatem Eccleſiaſticam, inane nomen eſſe ſine re, neminem attingentem

tingentem & lædentem, qui eam non reformidat nisi, vim accipiat à potestate externâ laica seu civili, id dixi cum rev. Parente Ant. De Dominis & aliis.

Pet. Mol. Epist. ad Sibrandum Lubertum. *Potestas judiciaria res est titulo tenus, nisi potestate puniendi immorigeros instructa fuerit.*

Ant. De Dominis lib. 5. de rep. Ecclesiastica cap. 2. *Sine laica potestate nihil obtinebimus, nos potius Episcopi & ministri declaramus, esse excludendum, quam actu corporali excludimus: quod si ille adhuc se intrudat & concurrat ad preces communes in Ecclesiam, nunquid Ecclesiasticâ possumus illum virum extrudere, abripere, expellere.*

Si perperam dixi excommunicationem esse actum, communitatis, erravi cum Bucero, & Calvino.

Vide Calvinum com. in Matth. 18. v. 18. *Paulus Corinthium incestum non ab aliquo delecto numero sed à toto piorum cœtu excommunicari jubet; ideoque probabile videri possit judicium hic toti populo deferri.*

Si dixi nullum dari objectum circa quod versetur potestas Ecclesiastica, ac proinde perperam ejusmodi potestatem statui quæ naturâ & genere differat

rat à politica, idem affirmavi quod vir doctus qui Diatribam meam Anglicanam ventilavit.

Sed. 3. §. 3. *Fatemur quidem poſſe reges ferre quæ ad politiam externam Eccleſiæ, ſed non quæ ad fidem, nam cum ſolus Chriſtus dominetur fidei noſtræ, nulli hominum licet leges imperare conſcientiis & fidei.* Sane cum res Eccleſiæ conſtent fide & diſciplinâ ſeu politia; ſi de hac ſolus magiſtratus imperio & legibus ſtatuit, de illâ ſolus Chriſtus, nihil ſupererit paſtoribus circa quod eorum poteſtas occupabitur in foro externo, nam in interno ſæpius inculcamus objectum propriæ dictæ poteſtatis paſtorum eſſe hominem transferendum prædicatione verbi à poteſtate Satanæ ad Deum, à tenebris ad lucem.

Si dixi poteſtatem perperam vocatam Eccleſiaſticam, ſubordinatam eſſe poteſtati magiſtratus: Id affirmavi, cum Iunio, Pareo, Martyre, quorum teſtimonia attulimus cap. 2. noſtræ Paræneſeos.

Si perperam dixi poteſtatem propriè dictam Eccleſiaſticam & civili oppoſitam non aliam poſſe excogitari præter internam quæ ſe per miniſterium exerit in perducendis animabus

ad

ad fidem Christi, id dixi cum Triglandio qui sui oblitus id ipsum affirmavit.

Trigland. Præfat. in librum de potestate civili & Ecclesiastica. *Potestas Ecclesiastica, potestas est spiritualis sita in administratione clavium regni cælorum, feriens ipsum animum & afficiens intrinsecè conscientias hominum, qua Deus ut instrumento suo & medio utitur ad eorum conversionem & salutem, & hac de causa tanto nobilior dicitur, quanto anima corpore salusque & felicitas æterna prosperitate temporali præstantior est : sed hanc Theologorum reformatorum nemo Magistratui attribuit.* neque ego ullibi ; ast tantum illam quam idem sibi perinde immemor magistratui ascribit loco allegato, cap. 16. p. 317. *penes potestatem civilem est judicare & statuere de religione quam in publico inter subditos velit exerceri: si veram religionem removet & falsam ei substituit, abutitur quidem potestate sua, non tamen ipsi neganda potestas.*

Non aliud est majus indicium veritatis reformatæ religionis quam quod ejus professores in uno quoque dogmate habeant aliquem Romanensem scriptorem secum conspirantem, saltem quandoque præter solitum sana loquentem, ut Scotus in dubium revocet Transubstantiationem, Cajetanus

nus indulgentias Papales, Polydorus Virgilius cultum ignotâ lingua celebratum damnet: Bellarminus alicubi dicat tutius eſſe ad Dei miſericordiam confugere quam juſtitiæ propriæ operum fidere, Ianſſenius in doctrina de gratia recte ſentiat, ut jam meritò religio reformata, ſi non tota in ſingulis, tota tamen in omnibus reperiatur, quatenus ſinguli nec opinantes aliquam partem veritatis agnoſcunt, ut quiſque ſymbolam ad ejus patrocinium contulerit. Iam ſi κατ' ἄνδρα ad rem meam fiat, quis non juxta affirmet Paræneſim meam non ſolum toto ambitu ſuo, ſed & membratim cum veritate concordare? eo quod licet tota non poſſit ex uno aut Zanchio, aut Martyre, aut Walæo, aut denique Cameroneaut Amyraldo, ſingulæ tamen Paræneſeos particulæ habeant (etiam in ſumma rei cauſæ meæ infenſiſſimum) ſuum vindicem & mihi patrocinantem, ut, quemadmodum reformatorum doctrinam reperias ſi non

in ſingulis ſaltem in omnibus ſcriptoribus pontificiis, vel virulentiſſimis, ſic invenias in univerſo grege acerrimorum imperii in imperio ædificatorum parenæſim meam: atque ut, dum in uno veri ſunt pontificii illi ſcriptores, non perviderunt vix poſſe in uno recte ſentire, quin omnia ſua deſtruant; conſimiliter à me ſupra allegati authores non ubique gnari quid ex quaque re aſſerta ſequeretur, nec viventes inter eos qui id ad vivum reſecarent, vi veritatis victi eadem quæ nos vel de natura judicii, vel de poteſtate ſynodorum aut de imperio magiſtratus circa Sacra ſcripſerunt, aut in enodatione ſcripturæ locorum non attendentes ſuam explicationem evertere poteſtatem Eccleſiaſticam, arma imprudentes nobis ſuppeditaverunt; quo facto ſinguli non tantum à ſe, ſed & ab aliis orſa retexerunt, ut aliquot exemplis palam faciam.

1. Sic qui credunt traditionem Satanæ 1. Cor. 5. intelligendam de

de excommunicatione, eoque capite S. Paulum unius tantum censuræ & sententiæ in incestum latæ mentionem fecisse, pugnant cum Symmystis etiam juxta secum excommunicationis vindicibus, qui exponentes traditionem Satanæ de extraordinario flagello, at veriti ne per id excommunicatio nutaret, invenerunt eodem capite excommunicationem in verbis *tollite*, &c.

2. Sic qui volunt vocem *Ecclesiæ*, Matth. 18. v. 18. intelligendam vel de pastoribus vel de presbyterio, pugnant secum, saltem cum Calvino, qui vult Dominum voce *Ecclesiæ* respexisse ad morem & synedrium Iudæorum, quod erat conventus non sacerdotum sed Iudicum & seniorum populi.

3. Nec qui scribunt excommunicationem actum esse potestatis Ecclesiasticæ satis Calvino concinunt in commentario dicenti, *excommuni-*

cationis potestatem apud Iudæos penes senatores fuisse, quorum potestas non magis Ecclesiastica quam civilis fuit ut qui Iudices essent de omnibus causis & personis.

4. Sic qui dicunt excommunicationem actum esse, non plebis Christianæ sed pastorum, voluntque incestum excommunicatum fuisse à pastoribus, pecinde Calvino adversantur qui ibidem dicit, *Pudum Corinthium incestum non ab aliquo delecto numero, sed à toto piorum cœtu excommunicari jussisse.*

5. Sic cum quidam differunt eos qui usum excommunicationis damnant ut impios & jugi Christi impatientes iidem non legerunt in Calvino Epist. ad Tigurinos pastores, mitius cum eis agi, ibi enim dicit pios & doctos esse viros qui in nullum usum retineri dicunt sub magistratu Christiano.

6. Sic cum Zanchius, Pareus, &c. volunt magistratum recognoscere,

rata

rata habere & reſcindere paſtorum judicia quæcunque, ipſi per id ſuam excommunicationis ſententiam ſubjiciunt magiſtratui, adeoque civili ſubordinant.

7. Sic cum quidam partiuntur regimina ut paſtoribus Eccleſiæ, reipublicæ regibus attribuant regimen, & hi non plus ſatagant Eccleſiaſtica quam illi civilia, non animadvertunt ſe id dicere contra ſententiam Riveti qui in explicatione decalogi vult procurationem divini cultus imprimis commiſſam magiſtratui juxta Confeſſ. Helveticam ſect. 30. *Docemus religionis curam imprimis pertinere ad magiſtratum*, & Baſilienſis, artic. 6.

8. Sic qui negant ullum eſſe ſchema regiminis Eccleſiaſtici ſub Evangelio præſcriptum, non pervident per id certam poteſtatem qualem volunt eſſe Eccleſiaſticam, & incertam poteſtatis regulam male inter ſe congruere.

9. Sic cum quidam ædificatores volunt judicia ſynodorum potius eſſe conſulta prudentum & peritorum: quam ſententias virorum authoritate judiciariâ præditorum, ipſi imprudentes evertunt ſuam poteſtatem judiciariam in ſynodis excommunicandi, exauctorandi, leges ferendi, eamque independentem ab eis qui præſunt humano ordini.

10. Sic cum Gilleſpius & Ruterfortis, & cum eis natio tota Scotorum presbyterianorum negant miniſtros ut miniſtros ſubjici magiſtratui, ſed ut cives, ex adverſo diſſident à Riveto qui explic. in decalog. vult miniſtros quatenus miniſtri ſunt, eſſe ſummi magiſtratus ſubditos. poſſem pari inductione plura percurrere niſi brevitati ſtuderem.

Hic loci eſſet eoſdem presbyterianæ diſciplinæ vindices quos allegavi, orſa à ſe detexentes nunc audire palinodiam canentes, & loquentes pro diſciplina ſua, pro poteſtate ſua Eccleſiaſtica à

civili diſtincta & in dependente: audio enim dum hæc ſcribo multos presbyterianos quos pudet poteſtatis hactenus vendicatæ, jam labaſcere & culpare, quod presbyterianis eum modum poteſtatis imputem, qui ab eis, nec recipitur, nec creditur: ſed facta & ſcripta eorum, tum fides eorum quæ attuli in paræneſi mea me vendicant ab ea imputatione. ſane non denegabunt à ſe credi diſciplinam presbyterianam eſſe jugum Chriſti, ſpiritualem juriſdictionem à civili diſtinctam, à qua diſtinctione emerſerit excommunicatio; ſic enim loquitur Calvinus Ep. ad anonymum *volui ut æquum eſt ſpiritualem poteſtatem à civili judicio diſtingui, ita in uſum rediit excommunicatio.* Non negabunt eas juriſdictiones à ſe ſtatui coordinatas, ut ſolis paſtoribus Eccleſiaſticarum rerum, magiſtratibus rerum civilium cognitionem & judicium permittant, his à Deo reipublicæ, illis Eccleſiæ à Chriſto commiſſum eſſe regimen, ut paſtoribus ſit de mu-

neribus Ecclesiæ deponere, ut regibus de muneribus regni; sic enim loquitur vir doctus qui in meam diatribam Anglicanam scripsit sect. 3. §. 11. & sect. 4. §. 12. Non negabunt se authoritatem judiciariam ascribere consistoriis & synodis, tum vetare provocationes à judiciis pastorum ad magistratum; sic enim loquuntur Walæus, Thysius, Gillespius, &c. non negabunt se de excommunicatione loqui ut de constitutione Christi non minus comparata ad salutem animarum quam verbum & sacramenta: nam sic loquuntur, Rc. Theologi conventus Westmonasterienſis. Longum esset singula persequi.

III. *Defenditur titulus libri. An qui ministros Dei se vocant omni imperium deponant.*

CÆterum ajunt titulum libri, qui est *Paræneſis ad Ædificatores imperii in imperio*, calumniis impetere, tum

um invidiâ gravare vindices poteſtatis Eccleſiaſticæ, cum contra omne impe-ium à ſe declinent, ſeque non impe-antes in Eccleſia ; ſed miniſtros Dei ocent. Sed non uno loco docuimus, mprimis p. 122. & 701, 702. appella-onem miniſtrorum, quâ tum paſtores, um ſummæ poteſtates mundi ſe indi-itant, non obſtare quominus utrique bi adjudicent poteſtatem judicia-iam, à ſe invicem independentem & oordinatam, ut nec civilis Eccleſiaſti-æ, nec Eccleſiaſtica civili ſubjiciatur: Hos enim & illos juxta ſcriptura vocat διακόνους Dei. Illud ſane imperium eſt, immo ſummum in quocunque cœtu, ut conſeſſu civili, aut Eccleſiaſtico, quod ſoli Deo aut Chriſto ſubordina-tur, cujus generis eſſe volunt non tantum ſummarum poteſtatum con-eſſum, ſed & paſtorum conventum, à quorum judiciis nolunt Gilleſpius, Walæus, &c. dari provocationem ad ſuperius tribunal. Nam & Iuriſconſulti, ſummam poteſtatem cui ſoli imperium

&

& imperare competit, nobis deſcribunt cujus actus alterius juri non ſubſunt, ut ſunt actus excommunicandi & exauctorandi, quos nolunt modum accipere à quacunque poteſtate præterquam ſuam. Profectò Papa non amolitur à ſe odium fundati imperii in imperio alieno, quod retineat balatum agni, ſeque ſervum ſervorum Dei appellet. Sed mirum qui opponunt, ut coordinata, non ſubordinata, Eccleſiam reipublicæ, magiſtratum Eccleſiaſticum civili, juriſdictionem Paſtorum juriſdictioni magiſtratus, quod detrectent imperium tum ſuum, tum ſummarum poteſtatum perinde æquo ordine ἀντικείμενα ſtatuere.

Dum hæc prælo ſubjicimus, redduntur mihi literæ clar. vir. Io. Meſtrezatii quibus prolixè mihi pro libro agit gratias. Is ſtatim de titulo libri id fert judicium. *Titulus libri tui manifeſtæ eſt veritatis, nam in Eccleſia quæ eſt imperium Ieſu Chriſti non opus eſt alio imperio in conſcientias quam illius ſummi*

mi Domini: homines non debent id ſibi aſſumere; immo in politeia non permittitur Status in ſtatu.

IV. *Author de ſtili acerbitate ſe purgat.*

Quidam ſtili intemperiem damnant; quam tamen non recordor in quenquam effudiſſe me, ſed magnificè & ut debui honorifice locutum de magnis viris, à quibus ſententiâ diverſus abeo, ac ſi ſecundi generis eſſent Apoſtoli, verùm quibus humanũ eſt labi, pariq; æſtimatione & veneratione proſecutum fuiſſe reverendum illum cœtum theologorum Weſtmonaſterienſium ac ſi conſeſſus fuiſſet ex Calvinis, Whitakeris & Perkinſiis conflatus, à quibus non ſuppuderet diſſentire, nec de iis pronunciare, ut de tota cohorte theologorum presbyterianorum aſſertorum poteſtatis Eccleſiaſticæ, numero quidem vincere ſuffragantes ſententiæ

Bullin-

Bullingeri, Muſculi, Gualteri, Eraſti, nec non fratrum congregationalis diſciplinæ, at ſi ſententiæ non numerentur, ſed ponderentur, hoſce argumentorum & rationum momentis longè ſuperiores eſſe. Hoc qui nolunt à me dictum viri reverendi de ampliſſimo cœtu ſed expungi, pari obelo debuiſſent confodere & damnare integram ſcriptionem, in quâ par ubique aut moderatio aut acerbitas, & exæquo ſe effundens in reverendum theologorum cœtum atque in Calvinum, Bezam & Clariſſimum virum Amitinum meum Samuelem Bochartum, quem tamen maximis viris æquiparo & magnâ obſervantiâ colo. à quorum ſententia dum ex æquo diſcedo, his & illis juxta iniquus, non potui eſſe injurius Weſtmonaſterienſibus, pronunciando eos ſuperaſſe fratres à ſe diſſentientes numero potius quam pondere ſententiarum quin eandem mihi creent invidiam reverendi pariter & clariſſimi alibi locorum Theologi quod

quod tanta animi fiduciâ, ſententia quæ unius aut alterius eſt plus apud me authoritatis habeat quam ſua, quæ plures ſynodos nationales habet vindices quam mea viros. Sed ad hoſtimentum mirum ni parem modeſtiam requiram in nonnullis de re, cœtu, quam in me deſiderant, nominatim in N. N. viro licet reverendo & doctiſſimo, ac ingenii ut ſpeciem fert mitiſſimi & triſtis ſeveritatis. Is per viam Londini in me incidens, tantam copiam evomuit bilis propter publicationem meæ Paræneſeos, ut ſpes ſit fore ut eo poſthac utar benigniore, tanta ſaburrâ liberato: damnabat totam ſcriptionem ut nefandam, peſtilentem & injuriam Ieſu Chriſto, cujus regnum, utilitatem & gloriam liber hic me vulneraret.

V.

V. *Amolitur odium & invidiam ſublatæ diſciplinæ. Quo jure diſciplina Eccleſiarum in Gallia nititur.*

NOn eſt quod mihi affingant me ἀναρχίαν in Eccleſiam invehere, tollendo diſciplinam & elevando authoritatem ſynodorum & presbyteriorum; cum potius ſuam & debitam iis reſtituam, eamque affirmem ſubordinatam eſſe poteſtati cuſtodum omnis divini humanique ordinis, ut quemadmodum magiſtratus omnium ordinum, hominibus ſocietatibus & conſeſſibus; ſic Eccleſiis, conſiſtoriis claſſibus & ſynodis authoritatem judiciariam & poteſtatem imperii deferendi, & obſequii injungendi imprimat: Nam extra poteſtatem delegatam à magiſtratu, nullum eſt jure Divino poſitivo imperium ſynodi nationalis in provincialem, nec provincialis in

in Eccleſiam particularem, immo nec quoquam jure, niſi per diſciplinam confœderatam & pactum mutuum inter Eccleſias particulares initum: In quo jure diſciplinæ confœderatæ, cum ſynagogæ Iudaicæ ſub idololatris regibus fundarentur, non injuriam faciam Eccleſiis noſtris in Gallia viventibus ſub regibus religioni reformatæ minus æquis, ſi eodem jure affirmem ſuas res habere. Cumque perinde fuiſſet ad firmandas res Iudæorum & conciliandam authoritatem ſuæ diſciplinæ, ſi Babylonici aut Perſici reges eorum domini accepiſſent credi à Iudæis, ſuam diſciplinam non eſſe confœderatam & inductam neceſſitate temporum, ſed juris Divini poſitivi & immutabilis, cui magiſtratus civilis non ſe admiſceat; ſic omnino exiſtimandum perinde eſſe ad ſtatum Eccleſiarum in Gallia firmum aut nutantem, ſeu ipſæ de ſe credant ſuam diſciplinam juris eſſe naturalis inducti & aſſumpti neceſſitate temporum, locorum & dominorum

rum per confœderatam disciplinam: magistratus enim ipse qui reformationem omnem in religione censet deformationem esse & secessionem à verâ Ecclesiâ, quamcunque disciplinam ab eis sumptam non reputat fundari in verbo Dei, multo minus credit jure Divino positivo independentem esse à potestate civili & externâ: Quid? quod non potestatem facit Ecclesiis sub ratione disciplinæ Christi, aut quia pro tali ab eis reputatur; Sed quia disciplina est in genere, quam permittere putat juris esse sui, ut nunc post regium indultũ, disciplina quâ gaudent Ecclesiæ, partim sit privata, propria & confœderata, partim regia, cum sine regis auctoritate nec synodi indicantur, aut convocentur; nec decretorum in synodis ulla vis, immo ne publice Deus coli possit, Sacramenta administrari, defuncti citra querelam terræ mandari. Cum ergo magistratus non indulgeat alio jure reformatis quam regio ut in Ecclesias & synodos coeant, nec edicto

edicto ſanciat aut agnoſcat eorum reformationem aut diſciplinam habere Chriſtum authorem, quin immo totam religionem nominetenus & perperam reformatam appellet, parum intereſt fidei illibatæ & diſciplinæ immotæ tuendæ, quibus titulis veſtiatur fides reformatorum à Romanenſibus, modo ſit vera & non ſubleſta, quove jure retineatur aut vocabulo inſigniatur diſciplina, modo ejus vis immota & minime laceſſita conſtet plebi reformaræ. Non puto autem me longè abiviſſe à ſenſibus authorum diſciplinæ Eccleſiarum reformatarum in Galliâ, cum dixi diſciplinam Eccleſiaſticam quamcunque, arbitrariam & mutabilem eſſe, adeoque non eſſe juris divini poſitivi & perpetui: Etenim ultimo paragrapho, capite itidem ultimo diſciplinæ ſic loquuntur. *Hi articuli hoc libro contenti de diſciplinâ, non ita ſunt definiti & rati inter nos, ut cum utilitas & commodum Eccleſiæ id requirunt non poſint immutari.*

Sed imprimis triumpho in judicio magni theologi Ioh. Meſtrezatii Epiſtolâ ad me ſcripta, cujus modo mentionem feci. Is enim non ſolum eadem reponit quæ authores diſciplinæ Eccleſiarum Gallicanarum, ſed ſine circuitu eadem quæ nos affirmat de poteſtate Eccleſiaſtica, tum de jure quo diſciplina Eccleſiarum in Gallia nititur. eſt ergo quod in poſterum dormiam ſecurus de invidia quam in me mea concitavit Paræneſis, cujus momenta vir clariſſimus in magno orbis theatro degens ſub magiſtratu reformatæ religioni minus æquo, adeoque aſſuetus nemini rationem reddere præterquam ſymmyſtarum confeſſui, vindicat, docet, aſtruit ut jam per meum latus vulneretur vir præſtantiſſimus ſi opus meum vulcano aut vulcani marito tradendum ſit tanquam diſciplinæ hoſtis & everſor & ſi quod paſſim in ore eſt multorum, pernicioſum & peſtiferum eſt atque ſubvertens regnum Ieſu Chriſti: ſed non ægre feret vir Reverendus

dus ſi hic appono ipſius verba cum eorum interpretatione latina in gratiam eorum qui Gallica non attingunt.

Ie vous ſuis fort obligé du preſent que vous m'avés fait de voſtre traitté intitulé Paraineſis ad Ædificatores imperii in imperio & de ce qu'il vous a pleu y faire mention de moy avec honneur; le tiltre a de ſoy de l'evidence, car en l'Egliſe qui eſt l'empire de Ieſus Chriſt il ne faut point d'autre empire ſur les conſciences que celuy de ce Souverain Seigneur; les hommes ne doivent l'uſurper. Et en la republique on ne permet pas un Eſtat dans un Eſtat. Le clergé Roman a uſurpé le premier. Mais il faut prendre garde qu'en evitant cette extremité on ne tombe en un autre qui eſt l'anarchie & confuſion. Icy eſt requiſe la prudence Chreſtienne, d'autant plus que les choſes exterieures de la police & diſcipline peuvent recevoir de la varieté ſelon la diverſité des peuples & des Eſtats ou l'Egliſe de Dieu ſe trouve: elle eſt differente a Geneve, en Suiſſe, en Alemagne, en France; Ieſus Chriſt & les Apoſtres ne nous l'ayant pas determinée particulierement. Dieu a grandement beni celle de France; & ſi elle a quelque choſe de l'image des appellations politiques & de l'authorité des jugemens des compagnies ſuperieures, elle ne l'a que pour la neceſſité de l'ordre & non pour la conſcience. Il eſt a craindre qu'en ſe rendant trop ſcrupuleux on ſe prive de beaucoup d'utilité. Quoy qu'il en ſoit la police & le gouvernement exterieur ne fait pas l'Egliſe, ce qui la fait eſt la

pureté de la doctrine & du ſervice de Dieu. Mais la diſcipline pour la practique de la pieté & la conſervation des bonnes mœurs, devant accompagner la doctrine ; la forme de la police & du gouvernement luy doit ſervir de lien & de rempart contre les accidens qui la pourroient diſſoudre ou choquer. Cependant ie loue Dieu de ce que ce qu'il y a de varieté entre ceux qu'on appelle Presbyteriens & Independans n'altere point la pureté de la doctrine & du culte, ainſi y que j'ay veu que vous en aſſeurés.

Quæ Latine ſonant.

Multum tibi devinctus ſum de munere quo me donaviſti tractatus tui cui titulus eſt Paraineſis ad Ædificatsre Imperii in imperio & de mentione quam mei dignatus es facere cum honore. titulus per ſe eſt manifeſtæ veritatis : nam in Eccleſia quæ eſt imperium Ieſu Chriſti non opus eſt alio imperio in conſcientias præter imperium Summi illius Domini. non debent homines illud uſurpare ; & in politeia non permittitur Status in Statu. Clerus Romanus primum uſurpavit. Sed cavendum eſt ut evitando extremum unum in aliud non cadatur, quæ eſt anarchiâ & confuſio : hic prudentia Chriſtiana requiritur, eoque magis quia res externæ politeiæ & diſciplinæ poſſunt recipere varietatem ſecundum diverſitatem populorum & ſtatuum ubi Eccleſia Dei collectam ſe videt ; diverſa eſt Genevæ, in Helvetiâ, in Germaniâ, in Gallia ; Ieſu Chriſto nullam particulatim præſcribente. Deus multum benedixit diſciplinæ Eccleſiarum in Gallia. Si aliquam imaginem refert appellationum politicam & authoritatis judiciorum ſocietatum ſupremarum, id tantum obtinet propter neceſſitatem ordinis, non autem propter conſcientiam. ti-

mendum

mendum eſt ne dum ſcrupulis nimium laboramus multa pereat utilitas. Quicquid ſit politeia & regimen externum non conſtituunt Eccleſiam; eam faciunt puritas doctrinæ & cultus Dei. ſed diſciplina quoad praxim pietatis & bonorum morum conſervationem, cum comes eſſe debeat doctrinæ, forma politeiæ & regiminis inſervire debet ut vinculum aut munimentum adverſus accidentia quibus diſſolvi, aut illidi poſſit. Interim laudo Deum eam varietatem inter eos quos vocant Presbyterianos & independentes non immutare puritatem doctrinæ & cultus, quemadmodum video te aſſerere, &c.

Quis non videt eadem quæ nos inculcamus doceri à magno Theologo, nempe eandem poteſtatem & prudentiam uſurpari in regendis ſocietatibus Chriſtianorum quam in ordinandis ſocietatibus civium; poteſtatem & politeiam Eccleſiaſticam ſub magiſtratu adverſo, mere confœderatam eſſe & aſſumptam neceſſitate temporis & loci; at ſub magiſtratu orthodoxo concedere in politeiam reipublicæ, cujus cura prima eſt ſocietatum fidelium, ſecunda cæterarum ſocietatum, ſed æqua poteſtas in has & illas juxta. Expreſſe etiam docet vir clar. obligationem parendi ſynodorum & ſynedri-

orum canonibus & sententiis in Gallia accedere non propter divinum præceptum positivum, sed quia omni ordini humano & disciplinæ per mutuum pactum constitutæ æquum est obtemperare, immo necessarium seu propter conscientiam ex præcepto S. Pauli & Petri qui volunt omnia ordinate peragi, adeoque quemque recte ordinatis morigerum se præstare. ejusmodi disciplinæ in Gallia in hoc jure fundatæ benè dicit Deum benedixisse, nam si sub bonis legibus & sapiente magistratu vivitur in alta pace & rebus florentibus, cur exactissimæ disciplinæ vinculo colligatæ in unum corpus omnes Ecclesiæ reformatæ in Gallia eadem bona non sperarint & expectarint à Deo ordinis amante.

VI. *Quod Parœnesis non detrahat de potestate Pastorum.*

SUnt qui non tam grave esse dicant introducere quam eripere pastoribus

paſtoribus omnem poteſtatem, ut magiſtratus ſtatuatur miniſter Dei in Eccleſia, atque ad ravim objiciant Hoſiæ exemplum qui involavit in munus ſacerdotis. Sed penſitatis quæ attulimus, de naturâ poteſtatis, tum internæ, tum externæ, nec non muneris & officii; non puto habiturum reverendum ordinem quod hæreat amplius aut conqueratur. De Hoſia notanda ſunt verba Rivetii in Decal. p. 1373. Col. 1. tom. 1. *Hoc exemplum Hoſiæ tertio quoque verbo uſurpant qui magiſtratus jus omne in res Eccleſiæ eripiunt.* Sed demus Paſtoribus jure Divino tribuendam eſſe poteſtatem excommunicandi, deponendi, leges ferendi in Eccleſia, inde tamen non ſequetur aut conficietur eam poteſtatem non eſſe ſubordinatam poteſtati magiſtratus: admittamus tantiſper æquam datam à Deo poteſtatem paſtoribus & parentibus, his in liberos, illis in populum Chriſtianum; non inde deducitur hanc & illam poteſtatem juxta non eſſe ſub-

ordinatam ſummæ poteſtati: cumque nemo dubitet poteſtatem paternam ſubjici ſummo magiſtratui, perinde æquum eſt poteſtatem habitam à paſtoribus in ſynodis & presbyteriis ei obnoxiam eſſe. Cum autem Deus in lege prohibeat matrimonia contrahi invitis parentibus, idemque ſanciat Iuſtinianus lib. 1. Inſtitutionum tit. de nuptiis: Non video, quanquam omnes canones Synodorum eſſent leges diſertè in verbo Dei ſcriptæ, cur magiſtratus non debeat ſive in Eccleſiâ ſive in republicâ eos ferre & imperare, ut de poteſtate paſtorali & paternâ juxta leges ferat. Sed mirum aliam poteſtatem paſtoribus aſcribi à viris piis & ſanctis & cætera orthodoxis, præter internam, quæ ſe in debellandis affectibus & mãcipandis cruci Chriſti exerit, cum etiam obſidente mentes caligine densâ ignorantiæ Aº 1080. referente Vignerio veraciſſimo hiſtorico, vindices Henrici Imperatoris in confutatione aſſertionum Hidelbrandianarum.

Confut.

Confut. 9. non dubitent affirmare, *Novam illam eſſ prædicationem, cum Eccleſia non habeat ſibi conceſſum gladium, niſi ſpiritus, qui eſt verbum Dei.* Sic veritas victrix perrumpit ſub Gregorio, quæ vix hiſcere audet hodie in tantâ Evangelii luce. Nunc ideo vapulo quia pertendo cum hyperaſpiſtis tempore Gregorii 7. aut potius cum S. Petro 1. Ep. cap. 5. authoritatem paſtorum in foro externo omnem eſſe exempli, nullam imperii; atque poteſtatem clavium tum ligandi & ſolvendi ſe per ſolam prædicationem verbi exerere, tum naturam imperiorum paſtoralium eandem eſſe quæ divinorum, quibus perſuaderi eſt eis obſequi. Unde ſæpius vox πείθειν in Novo Teſtamento ſit & perſuaderi & obſequi. Per id Deus docet naturam Imperii Divini eſſe in eos quibus verbum perſuaſerit, eoſque rebelles & monitu aſperos eſſe quibus verbi nulla fides apud ſe, adeoq; omnem poteſtatem paſtoralem eſſe in eos quos verbum è nolentibus

bus præstiterit volentes. Quod quidem probè intellectum à vindicibus Iuris Imperatorii, & ideo volebant omnem sententiam excommunicationis in Henricum in irritum cadere, in quam ipse imperator non consenserat.

VII. *Quod certa forma disciplinæ non extet in Scriptura.*

NOn desunt qui querantur me nullum præscribere schema, secundum, quod optandum esset magistratum Ecclesiam gubernare: Sed cum nulla in sacris litteris certa sit regiminis forma, fatentibus Camerone, Mestrezatio & Amyraldo, plane incumbit in republicâ omnis ordinis & politiæ moderatoribus dare leges & regimen ut omni societati, sic maximè Christianæ, quod tempori, loco & personis congruat, ut una fide unâ disciplina omnes societates, sub unâ jurisdictione devinciantur, constituto imprimis, ut olim in Anglia & florentibus rebus

Pala-

Palatinatus, ſenatu partim ex paſtoribus, partim ex magiſtratibus, per quem ἀτάκτους & contumaces comprimantur, hæreticis os obturetur, arctè Iſidori pronunciato pro regulâ & temperamento in regimine Chriſtianas reipublicæ adhibito ut *quod non prævalet ſacerdos efficere per doctrinæ ſermonem poteſtas, hoc impleat & imperet per diſciplinæ terrorem.* quæ quidem diſciplina ut una, ita ab una poteſtate ſanciatur & imperetur, ne ubi ſunt multi imperantes, imperium una cum obſequio intercidat. Quo magis optandum ut Deus inſtillet hanc bonam mentem, tum magiſtratibus, tum rectoribus Eccleſiarum, ut ſerio apud ſe reputent quam ſupervacuum, quam noxium reipublicæ Chriſtianæ, multiplicare (ubi nulla neceſſitas impoſita eſt à magiſtratu veræ religionis adverſo) in una republica leges diſciplinas & morum cenſores, quandoquidem compendio judicum & legum poſſint religio & pax minus laceſſitæ judiciis & cauſis,

immo

immo & peccatis, jurgiis, & diſſidiis conſtare: Ut in peſſimâ republica plures leges, plures judices, plura itidem fora, ſic contentiones & litium major ſeges, eoque magis ſi plura ſint in uno imperio tribunalia & judicia, eáque non ſubordinata ſed coordinata; per quæ fit, ut non tantum fora, ſed & judices cauſæ & lites numero augeantur; cum enim unum imperium ſummum ſe facillime diffundat in plura tribunalia ſubjecta & ſubordinata, vix duo imperia & æque ſumma ad ſua quæque curabit perferri mandata ſine colliſione vel obſequiorum vel tribunalium collateralium, ut jam quo eatur obviam conflictibus mandatorum, pro uno imperio in imperio, non tantum duo, ſed & tria imperia ſumma exædificanda ſint, quorum primum civile, ſecundum Eccleſiaſticum dicatur: tertium verò quod cauſarum de quibus dubites an ad Eccleſiaſticum, an vero ad civile pertineant forum, ſit arbiter & judex; tum dirimat eas controverſias,

troverſias, de quibus partes tranſvolantes ab Eccleſiaſtico foro ad civile in perpetuum litigant, nec convenit inter fora cujus judicio pars quæ ſe læſam dicit ſtare debeat, cujuſmodi judices & arbitros æquum fuiſſet ſufficere componendis perpetuis diſordiis & litibus quibus presbyteria & conventus Eccleſiaſtici ab aula regia & ſecularibus judiciis ævum integrum in Scotia diſſidentes fuerunt. Quocirca ſi ſummus magiſtratus uno imperio, unâ fide, unâ itidem & eadem lege qua rempublicam, etiam Eccleſiam regat, multâ curâ & onere levabit tum plebem Chriſtianam, tum paſtores variis inter ſe ſenſibus circa delectum diſciplinæ, aliis presbyterianam, nonnullis Epiſcopalem, cæteris congregationalem poſcentibus; ſic enim conciliatis animis ad nova arrectis, nec in uno ſchemate certò ſubſiſtentibus, requieſcent à labore tot pii viri, ſed moleſtè ſeduli, dum ſuum quiſque ſchema evulgat & probari cupit, ſubdente aculeos acerrimos

rimos Riccardo Baxtero, & ſuum quoque tanquam diſciplinam Chriſti commendante, ut jam infinita pæne volumina diſciplinæ presbyterianæ paſſim circumvolitent, ex æquo omnia brevi deperitura quia parum inter ſe concordia, niſi poteſtate Eccleſiaſtica ſeu judiciaria & excommunicatione tanquam ſale & aceto, ne forte corrumpantur, condita eſſent.

VIII. *Expenditur ratio Henrici Vanei, Equitis Aurati; ejus incommoda ſi ſola obtineret.*

CUlpant nonnulli quod errore non exolvam conſpirantes ſententiâ cum Henrico Vaneo Equite Aurato, qui removet magiſtratum à curâ Eccleſiarum; nulla fide aut diſciplina, nec cultus qui ubique uniformis ſit ab eo præſcriptâ formâ aut imperatâ, ſed datâ poteſtate cuique cœtui ſeorſim ſuum ſibi cultum habendi. Nos ſemper exiſtimavimus per paucos in Anglia

in

in eadem ſententiâ eſſe, ut non opus fuerit eam ſollicitè ex animis hominum evellere, quæ in paucos duntaxat dimanavit; attamen certum eſt eam ſententiam receptam duo maxima incommoda poſt ſe trahere: primum quod magiſtratui eripiat potiſſimam curam, cujus gratia à Deo conſtitutus eſt caput, pater, nutritius, cuſtos & rector Eccleſiæ & cujus tenetur rationem reddere Deo, ut ait Iſidorus apud Gratianum part. 2. cauſ. 23. qu. 5. cap. 11. Deus autem nunquam exigit à quoquam rationem alienæ adminiſtrationis. Secundum, idque maximum eſt, quod nullo cultu publicè præſcripto & imperato, vix centeſima pars populi ſe ad cœtus purè Deum colendum aggregaverit: cum fruſtra expectetur ut ſuopte motu ea ſectetur quæ faciunt ad æternam animarum rationem. Cumque cœtus illi quos ſolos nobilis vir in republicâ Chriſtianâ admittit non recipiant membra niſi in Chriſti fide & cognitione adulta, vitæque

vitæque caſtigatiſſimæ ; quî ignari, rudes, necdum lactis intelligentiæ capaces , tum profani & vitæ improbæ converterentur, aut inſtruerentur, niſi oppidatim & vicatim auctoritate publicâ paſtores conſtituantur, per quos promiſcuæ multitudinis aures verbo Dei verberentur , inculcatâ per eos concione illâ Pauli , jam veniſſe tempus quo Deus omnes ad fidem & pœnitentiam invitat. Sane quod paſtores tenentur facere, nempe ut per miniſterium verbi hominum oculi illuminentur , perducantur ad cognitionem Chriſti , & à regno Satanæ & mundi transferantur ad regnum Dei, id maximè curare debet magiſtratus ut à paſtoribus præſtetur. Atqui exemplo S. Pauli Athenis, Corinthi , Epheſi, tenentur fidi Dei miniſtri prædicare Evangelium ethnicis, rudibus & impiis ut dent nomen Chriſto, inſtruantur ad ſalutem & novâ vitâ induantur. At Vir illuſtris ut aſtruat non alium cultum aut diſciplinam habendam intra juriſdictionem

ſummæ

ſummæ poteſtatis, præter eam quam quiſque homo aut cœtus ſibi fingit & eligit, ait neminem cogi poſſe & debere ut credat & hanc potius quam illam amplectatur religionem. Sed eſto; nihil tamen obſtat quominus cultus non poſſit aut debeat imperari. Ut enim Magiſtratus neminem privatum jubet pharmacum à medico porrectum ſumere, aut ſecandum brachium tradere chirurgo: tantum curat ut non alii quam jurati & periti medici & chirurgi faciant medicinam: conſimiliter cenſendum magiſtratum ſic permittere cuique optionem religionis, tum frequentandi templa, participandi ſacramenta; domi & foris officia pietatis implendi, ut tamen legibus ſuis, tum imperio & ſumptibus templa ædificet, cultum à ſe probatum in eis conſtituat, paſtores ſuſtentet, lenocinia & inſtrumenta vitiorum eliminet, & ſic ſingulis, ſi non voluntatem, ſaltem neceſſitatem bene vivendi incutiat, eatenus imperando ſobrietatem, quatenus

vino madentem punit, bonosque mo-
res & fidem jubendo, dum pastores
sanctitate vitæ & doctrinæ conspicuos
præficit quibus obtemperetur & ne-
cessario & sponte, necessario quidem,
quia vi verbi non potest resisti; at
sponte, quia neminem ad credendum
cogit magistratus: Nam & id obtinet
in vitâ humanâ & civili, ut & impe-
rium Magistratui constet citra coactio-
nem eorum quorum gratia imperium
aut lex latæ sunt; sic cum rex ubique
celeres disponit equos neminem ta-
men prohibet ire pedes. Suâ sententiâ
Henricus Vaneus prope contingit ma-
nus Appollonii, qui vult magistratum
esse accidens separabile Ecclesiæ quod
possit abesse & adesse sine subjecti
interitu. Sed Vaneus multo verecun-
dior & modestior est Georgio Gil-
lespio, qui Aaronis virgâ pernegat ma-
gistratum subservire regno Christi,
quatenus est magistratus, quod sane
non dubito affirmare impium esse in
Deum, tum in jura & majestatem
sum-

ſummarum poteſtatum ut docemus cap.24.p.655. eumque hoc edicto adverſari ſententiæ omnium confeſſionum & theologorum, nec non Auguſtini contra Creſcomium lib.5.cap. 51. *Reges in quantum reges ſunt, bona jubere, mala prohibere, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ pertinent ad Divinam religionem.* Sed nemo miretur in Gilleſpio tantam ἐλευθεροστομίαν, qui quanquam cæterà fidei defœcatiſſimæ, iiſdem præſidiis fulcit ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam quibus Bonifacius & Bellarminus ſuam monarchiam temporalem Papæ defendunt: quin de excommunicatione ſentit ut de lege Chriſti non minus ſalvifica, quam eſt conſtitutio de perducendis hominibus ad ſalutem per prædicationem Evangelii & adminiſtrationem ſacramentorum. Verba ſunt theologorum in conventu Weſtmonaſterienſi, ut habet tractatus, rat. diſſent. fratr. p.63. quibus inſerendis haud dubio Gilleſpius acerrimam fa-

cem prætulit *Excommunicatio perinde est constitutio animarum salvifica, ac prædicatio Evangelii & administratio sacramentorum.*

IX. *Occurritur objectioni, quod tametsi nihil nisi vera asserantur in Paræniſi, periculosè tamen palam fieri.*

AT audio nonnullos dicentes, quanquam veritatis essent indubitatæ quæcunque astruxi in paræneſi mea de poteſtate perperam dicta Eccleſiaſtica, ſatius tamen fuiſſe errorem fundamentum fidei non ſubvertentem, & cui Reges, Principes magiſtratus & populi aſſueverunt, intactum relinquere in hac ſæculorum fæce, animis ad nova & mira arrectis, quam in apertum proferre pium illud erratum, quo veneratio intenditur paſtoribus; populos ſemel captos opinione authoritatis à Chriſto in paſtores collatæ, melius illis, ut Tacitus de vatibus dicebat, quam ducibus & magiſtratibus

bus parere: Hac ratione, ut ait Quintilianus, quod non habet authoritatem à veritate, ab hominibus ſumere. Itane fucum faciendo populis authoritas Chriſti obtendetur & corroborabitur error ſub ſpecioſo pietatis involuro? Licitum ne erit paſtoribus authoritatem Chriſti incaſſum vendicare quia inde forſan major & fides verbi apud nonnullos: gaudet quidem S. Paulus prædicatione paſtorum, ut ut malæ fidei, non minus efficaci in cordibus hominum, quam profecta ab ore cordatorum virorum, quorum verba cum mente concordant: at nihilominus hoſce nigro lapillo notat & figit, ne forte eorum fucus aliquandiu non intellectus diſpalleſcat in auditorum graviorem fraudem. Legi in Balzaci epiſtola quadam, errorem non eſſe attingendum cum longa præſcriptione authoritatem ſibi conciliavit: Alii conſona dicunt, dandam veniam antiquitati cum miſcuit vera falſis, divina humanis, quo primordia rerum augu-

ſtiora fierent, quaſi perinde excuſandi eſſent qui ſenatum Eccleſiaſticum independentem à magiſtratu faciunt inſtitutionis Divinæ, ac Trimegiſtus cum dixit ſe habere leges à Mercurio, Charondas à Saturno, Licurgus ab Apolline, Draco & Solon à Minerva, Numa ab Egeria, Mahumedes ab Angelo Gabriele: ſic ut fides religioni fingitur Deus.

——*veluti Parnaſſia laurus.*
Parva ſub ingenti matris ſe protegit umbra.

Mirum ni perinde cum ratione inſaniant Romanenſes cum obtrudunt reformatis, inveteratos morbos & in naturam adductos ſatius relinqui quam attrectari, præſertim ut accidit in cancro, ubi periculum eſt ne curatione, irritentur: Lutherum inſectando errores Pontificiorum, conturbaſſe totum orbem, & populos ſequaces ad alia & nova docuiſſe deceſſionem non tantum ab erroribus Eccleſiæ Romanæ, ſed & ab ipsâ Eccleſiâ. At liceat cum

Iobo

Iobo cap. 11. amicos increpante hæc reponere. *An fas vobis proferre prava in gratiam Dei fortis, aut fraude uti ad ejus patrocinium.* Indignum eſt exiſtimare religionem aut veritatem ſtare non poſſe niſi adjuvetur mendacio. Nam hoc qui dicunt & volunt periculum eſſe ex indicio, ſi fatentur excommunicationem eſſe figmentum humanum, non Chriſti inſtitutum, admittant etiam neceſſe eſt non poſſe ſine peccato ad ejus patrocinium prætendi authoritatem Chriſti, ac proinde extra peccatum refelli; nec poſſe ſine diſpendio fidei imponi hominibus onus acſi eſſet jugum Chriſti, cujus nec veſtigium, nec præceptum ullum in tota ſcripturâ extat, niſi equuleo imponatur. profecto cum nulli compareant loci pro excommunicatione, ſi licitum eſſet ad eruendam veritatem interrogare cacodæmonem, haud dubio Apollonius aut Gilleſpius alter (cum Cottone Ieſuitâ interrogante quod expreſſius comma in Scripturâ pro

purgatorio) exquireret ab eo quis locus maximè validus detur quo aſtruatur excommunicatio (uſque adeo inopiâ præſidiorum laborant) uti legimus de Hermolao Barbaro interrogante Diabolum quid intellexerit Ariſtoteles per ὁλικχειαν: nam idem factum ab Appione legimus, ut patriam Homeri de quâ tot urbes litigabant, compertam haberet.

X. *An per ſolam diſciplinam Presbyterianam eatur obviam hæreſibus. De optima ratione conſtituendæ diſciplinæ in Anglia: de cœtibus fratrum congregationalis diſciplinæ: de tolerandis heterodoxis & puniendis hæreticis.*

AT urgent nonnulli confractâ ſepe presbyterianæ diſciplinæ impune eſſe prava & heterodoxa, immo blaſphema docentibus & arripientibus. Sed ut docuimus cum excommunicatio presbyteriana neminem terreat & coerceat

coerceat niſi qui eam reformidat, interritum atque ſuſque deque habentem, ne minimum quidem lambat, fruſtra diverſa à ſe ſentientem arceret à ſacris ſuis Calviniſta presbyterianus puta Arminianum aut Anabaptiſtam qui inter beneficia Dei hoc telum in ſe intortum computaret. Quod ſi cerebroſus ambuſtus excommunicatione, à ſuo presbyterio non paret cenſuræ, ſed nihilominus ſe ingerit, non video quâ vi aut poteſtate arcebitur, non flexanima & perſuadente ſed externa civili & cogente. In Hollandia non diſciplina presbyteriana, ſed poteſtas magiſtratus hæreſes reprimit, aut modum imponit perverſa aut male ſana docentibus: Quidni idem præſtare poſſit magiſtratus in illis regionibus ubi diſciplina presbyteriana non obtinet, ut quod ſapienter ab ordinibus Hollandiæ fit, diſpiciatur quinam Chriſtianorum cœtus ſint tolerandi, præter eos quos & mandato & exemplo jubet: Id ſperamus factum iri à ſummo

ſummo magiſtratu Magnæ Britanniæ, ut conſultis ſanioribus & gravioribus theologis ponat in ſuis ditionibus differentiam inter religionem probatam à ſe, retentam, imperatamque, & eam quam tolerat, quamq; non prohibere conſultius ducit, ut illam publico ſenatuſconſulto ſanciat, imperatâ ubique confeſſione fidei quæ à nupero conventu theologorum Weſtmonaſterienſium conſtructa eſt (capitibus 30. & 31. exceptis) quam doceant doctores in Academiis & ſcholis, & evulgent paſtores pro ſuggeſtu in ſingulis parochiis. Secundum quæ optamus & ſperamus, ut ſtipendia de publico ſolis parochiarum & ſacellorum paſtoribus, nec non Academiarum & ſcholarum rectoribus & præfectis eandem fidem profitentibus & prædicantibus attribuantur: ubique paſtorum numerus augeatur, cum in multis parochiis iiſq; numeroſis, ut eſt parochia Londini Ægidio aut Sepulchro ſacra vix tres aut quatuor paſtores pares ſint toti curę paſtorali

paſtorali defungendæ, multo magis ſingularis miniſter impar ſit integro oneri ſuſtinendo. Numero paſtorum aucto, proximum erit diſpicere de redituum amplificatione, qui meo judicio commode accreſcent, ſi decimæ hæreditariæ ex publico ærario emptæ deſtinentur alendis viris Eccleſiaſticis. Imprimis expectamus ex ſapientia ſupremi magiſtratus, ut, per ordinationem, inaugurationem, aut ſolennem depoſitionem ad miniſterium viri idonei ſufficiantur cœtibus, ne quis ſine munere aut licentiâ publicâ capeſſat ſacram functionem aut cruda ſtudia in pulpitum propellat. Conſtituto ſic miniſterio, non dubitamus quin pædobaptiſmo & Sacrâ Cœna ſtatis temporibus adminiſtratis in ſingulis parochiis, tum junioribus & rudibus in fide edoctis, florentiſſimæ futuræ ſint res Eccleſiæ. Cæterum hæc de religione fide & cœtibus ordinatio authoritate & lege publicâ non impedit quominus magiſtratus etſi non imperet, ſaltem

tem probet fratrum cœtus quos independentes vocant, ut qui non ſe abſcindunt à cœtibus publicis imperatis, deſiderio ἀκριβῶς χριστιανίζειν tum vitæ caſtigatioris, inſuper in cœtus privatos, ſeu conventicula abeant, in quibus conſortio per omnia ſecum animatorum fruantur; tum cum iis jejunio, precibus & auditione verbi vacent & de rebus ad firmandam fidem & ſpem vitæ æternæ erigendam conferant. Aſt major eſt difficultas ſtatuere delectum & temperamentum in tolerandis Chriſtianorum cœtibus, quos nec probat nec imperat ſumma poteſtas. Anabaptiſtarum greges quales ſuperiori ſeculo Monaſterii in Germania ut fanatici & hoſtes divini humanique ordinis, procul amandandi, igni aquaque interdicendi; at qui cætera concordant cum pædobaptiſtis, tantum abeſt ut ab eis eliminari, ut potius hi debeant illos in ſuam communionem allicere & recipere, Inſtillantes illis ſeu primulâ, ſeu adultâ ſtate adminiſtretur baptiſmus,

baptiſmus, utrobique conſtare per baptiſmum offerri nobis Chriſtum cum omnibus beneficiis & fructum baptiſmi provectâ demum ætate percipi. porro impingentes in fundamenta religionis, ut ſunt Sociniani & Tremuli noſtri ad Anticiyras deturbandi. Nam Lutheranos & Arminianos haud gravatè in communionem reciperent. Orthodoxi cœtus. Verum exiſtimo ſuſpensè ſemper incedendum magiſtratibus in ſtatuendo modo licentiæ, non tam propter ignorantiam rerum Sacrarum, quam ne rigorem in hæreticos æmulentur magiſtratus heterodoxi erga reformationis purioris cultores; cum plerumque indulgentiæ modus à magiſtratu expectetur non ſententiâ ſed armis meliore lacertiſque fortiore, cui maximam partem quod poteſt libet, modum non in æquitate, ſed in voluntate ponendo: nam & non tam infirmior aut potior causâ, quam impar viribus ſub magiſtratu adverſo pro ſe allegat quod in omnium ore eſt, qui

cum

cum religionis ſuæ & conſcientiæ libertatem poſcunt, nempe fidem non imperari aut cogi, ſed ſuaderi, illudque Tertulliani ad Scapulam obnixe & humillime petit animo reputari. *Humani juris & naturalis poteſtatis unicuique quod putaverit colere: ſed nec religioni eſt cogere religionem, quæ ſuſcipi debet ſponte, non vi.* Cum tamen qui id rogant, ubi habent magiſtratum iiſdem ſecum ſenſibus, plerumque acrius quam conſideratius ei authores ſunt ut in prava, male ſana & blaſphema profitentes durius animadvertat: hac ratione ipſi ſibi judicium de blaſphemia aut hæreſi & quatenus punienda coercendaque aſſumentes: quod tamen abjudicant à magiſtratu & cum eo in religione concordibus paſtoribus, puta Pontificiis Lutheranis & Arminianis ubi non ſui ſed alieni arbitrii eſt publice ſuam religionem profiteri: volunt enim ſolius eſſe magiſtratus orthodoxi punire & coercere hæreticos: at cum nullus detur Chriſtianus magiſtratus,

qui

qui alteri orthodoxus, alteri vero hæreticus non sit, in æternum & tandiu litigabitur an & quatenus sunt puniendi hæretici quoad de ipsa hæresi constet: sed demus compertum & constitutum esse de hæresi, non minor dubitandi locus erit, an ad magistratum pertineat judicare de hæresi & hæreseos reum quenquam plectere; cum enim Ruterf. & Gillesp. ab eo abjudicent cognitionem & judicium de hæresi, plane debet ab iis statui vel apparitor & carnifex cœco judicio exequens judicia pastorum, ad quos solos volunt pertinere de hæresi judicare, vel, cum præeunte cognitione damnat & plectit hæreticum, satagere quæ nec fori nec muneris sui sunt. Hic cum se constrictos vident Ruterfortis & Gillespius hacstrophâ se expediunt, dicentes magistratum non punire hæreticum modo Ecclesiastico, sed politico, nec ulciscì blasphemias perjuria & ejusmodi crimina ut Dei injurias Ecclesiæ noxias, sed civiles turbas pacem reipublicæ

blicæ interturbantes, ita enim loquitur Ruterfortis Libro de regimine Eccleſiæ, cap. 25. qu. 21. pag. 568. Sane, ſi ei creditur excuſandus Imperator Claudius referente Suetonio cap. 25. qui *Iudæos tumultuantes impulſore Chreſto repreſſit.* ut qui non debuit judicare de religione Iudaica, ut nec de Chriſtiana, ſed amoliri lites & diſcordias, quibus pax reipublicæ laceſſebatur. Ex ſuperioribus patet non facile eſſe ſtatuere in tanta mentium cœcitate quarum oculi caligant ad Divina, an & quatenus puniendi aut tolerandi hæretici & heterodoxa docentes: nam licet blaſphemias eructans in Dei filium longè graviori crimine ſe alliget quam qui viatorem pecuniâ ſpoliavit; merito tamen dubitarunt viri pii & docti an in foro humano ille gravius plectendus ſit, & non incommode putant reponi à Chriſtianis ethnicorum dictum, quod vim præcepti habeat. *Deorum injurias Diis, hominum vero injurias hominibus curæ eſſe debere.* Cui hunc dant intellectum:

Deum

Deum morbis, terroribus conſcientiæ, calamitatibus, gehennæ æternæ vel metu vel punitione affligere homines rebelles & impios, licet in vitâ humanâ cæterà inculpatos & morigeros legibus humanis, tum in æquitate naturali fundatis, tum civilibus: Magiſtratum autem exſcindere aut punire legum à ſe latarum violatores. Sed quia Dei injurias non facile eſt divellere ab hominum injuriis, ut nec leges divinas ab humanis; (non enim dubium eſt, quin materia legum humanarum ſit de re omni, ac proinde de Divina, ut nec dubitandi locus, ſi lex ab eo lata fuerit ut blaſphemus morte plectatur, quin ſecundum legem à ſe latam animadvertere debeat in blaſphemum) ideo volunt gravis quæſtionis de puniendis hæreticis hunc eſſe ſtatum, an & quatenus magiſtratus Chriſtianus citra Divini juris & bonæ conſcientiæ violationem leges ferre debeat de puniendis hæreticis: in quibus condendis volunt magiſtratum ſeriò reputare. 1. Durum

posse videri quenquam puniri propter violationem legis, quæ vel non fundatur in æquitate naturali, vel etsi est de rebus quæ non fundantur in æquitate naturali, tamen contra naturalem æquitatem non pugnant, quales sunt variæ leges & consuetudines, de familiis, hæreditatibus, testamentis, immunitatibus liberarum civitatum, &c. 2. Secundum quod rigidius videtur & contra naturalem æquitatem, quenquam plectere ob transgressionem legis, quæ à naturâ non est indita, immo quæ & ipsam naturam superat, quales sunt. Deum in carne patefactum esse, Dominum Iesum esse filium Dei, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio. 3. Quod si homo puniri debet quia negat Christum venisse in mundum, pari aut potiori jure, cur vir nequam in quo signa reprobationis conspiciuntur, morte non afficiendus erit, eo quod non credit in Christum, quod juxta improbum est, ac inficiari Christum venisse in mundum: etenim

Dia-

Diabolus hoc poſtremum credit, at non credit in Chriſtum. 4. Videtur pugnare contra æquitatem naturalem, ut quis puniatur quod tranſgreſſus fuerit legem in quam incurrere abſque gratia extrinſecus accedente nec novit, nec noviſſe potuit eſſe peccatum. 5. Cogitet etiam, ſollicite gradiendum in ferendis legibus de materia quæ ſuperat humanum intellectum & quæ ſummo judicio non poteſt definiri, quæque ſancita, non corporibus ſed conſcientiis ipſis vim infert. 6. Sed quia lex ſemel lata non recipit vim, modum aut interpretationem à reo, plane id temperamentum adhibendum in executione legis, ut ſedulo inquiratur, an qui legem contra blaſphemiam fregit pro blaſphemia agnoſcat quod alii vocant blaſphemiam, an dolo malo & per pravam diſpoſitionem, an vero per privationem ſeu negationem bonæ diſpoſitionis. 7. Par eſſet ſaltem ſic coerceri pravum hæreticum, ut ei imponatur neceſſitas ut ſibi tantum nocitura ſen-

tiat, aliis obfutura non pandat, ut de hæretico homine graviter & ſapienter dicunt Gratianus, Valentinianus & Theodoſius codice Theod.L.Omnis, de hæret.

XI. *Occurritur objectioni, quod Paræneſis ſchiſmata introducat. de natura ſchiſmatis: de diatriba Ioh. Oweni de ſchiſmate.*

AT nondum finis criminationum, ajunt dum à magiſtratu datur arbitrium religionis, puta Lutheranis Arminianis & illis Anabaptiſtis qui in ſolo Pædobaptiſmo diſcedunt ab Orthodoxis, me ſchiſmata introducere in Eccleſiam; at qui ſic loquuntur ignorant naturam ſchiſmatis, quam neſciviſſe hactenus orbem Chriſtianum ab Apoſtolorum ævo docet nos Vicecancellarius noſter vir ampliſſimus Ioh. Owenus, tractatu eruditiſſimo de ſchiſmate, cujus notitiam quatenus linguæ patriæ velo cæteris tegit reformatis

matis Gallis Germanis & Belgis, ſeparatim ſibi & ſuis conſulens, pene ſchiſmatis poſtulandus eſt: Negat enim Eccleſiam particularem dicendam ſchiſmaticam, eo quod in omnibus capitibus doctrinæ aut diſciplinæ non concordat cum vicinis, aut remotis Eccleſiis: non abrumpit Calviniſtarum cœtus unionem cum Lutheranorum Eccleſia quia non admittit conſubſtantiationem. Immo ne ſchiſmaticus dicendus eſt ille homo aut cœtus cujus ſenſa de capitibus omnibus doctrinæ non congruunt cum cæteris capitibus ſeu hominibus cum quibus in unam Eccleſiam coaluit, dummodo charitatem non abrumpat, nec contentiones, & ἐρίδας quas S. Paulus χόμματα vocat moveat & alat, cujuſmodi Apoſtolus ſchiſmata notat, cum pars ejuſdem corporis & Eccleſiæ particularis & in unum locum congregatæ diſcordat à corporis membro, veluti cum manui cum pede, aut capiti cum ventre non convenit. Nam, ſi ad partis alicujus

integritatem & communem uſum non neceſſe foret ut communi vita & continenter adhæreret corpori, tum nequidem manus longe ſemota à reliquo corpore dicenda eſſet abrumpere unionem corporis. Sane πάθημα morbus eſt particularis Eccleſiæ, manente Eccleſia eadem. Idem eſt in Eccleſiâ particulari πάθημα quod ſeditio & factio in una republicâ ſub uno magiſtratu: nam ſi una Eccleſia in duas diſſiliat, aut unum regnum in duo partitum ſit, ut non ita pridem in Hiſpania evenit, tum nec Eccleſia diviſa in duo membra erit, ſi quidem unaquæq; Eccleſia ſit corpus integrum & circumſcriptum, cui nihil deeſt ad integritatem Eccleſiæ; nec regnum puta Luſitanicum dicendum erit ſchiſmaticum aut ſeditionibus & factionibus laborare quia ſe ab imperio regis Caſtilliæ & Arragoniæ ſubtraxit, quamdiu partibus probè inter ſe cohærentibus & concordantibus conſtat & immota pax ſervatur ſub rege Luſitaniæ: quod ſi in eo regno quidam rerum

rum novarum ſtudioſi cœptarent rebellionem, tum veriſſimè diceretur ſchiſmate & ſeditione laborare: Adde quod non deſunt exempla Eccleſiarum ab invicem diſcrepantium legibus & conſuetudinibus, quarum tamen nulla debeat dici ſchiſmatica: nam etiam ſub uno imperio Romano forma liturgiæ in Gallia diſcrepabat à Romanâ. Ex Caſſiano Collat. 10. cap. 2. diſcimus Eccleſias Ægypti diem natalem Domini obſervaſſe ſextâ Ianuarii, cum Romæ jejunaretur ſabbato, quod Ægyptus, Syria & Græcia grande crimen arbitrabantur. Non credidit Cyprianus Eccleſias particulares non idem ſentientes, & in doctrinâ ritibus & conſuetudinibus diſcrepantes ſchiſmaticas eſſe. *Multa* (inquit) *pro locorum & hominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace aliquando diſceſſum eſt.* Et in concilio Carthaginenſi. *Superest ut de hac ipsâ re quid ſinguli ſentiamus, proferamus, neminem judicantes; à jure*

communionis diversa senti ntes amoventes.

XII. *Expurgat se author de accusationibus fratrum Scotorum. Specimen Imperii in Imperio ab eis ædificati exhibetur. causa longe præcipua cur præ reliquis reformatis potestatem Ecclesiasticam & Imperium in imperio in immensum protulerint.*

O Dioſe me exagitant, fratres Scoti quod affirmaverim nullibi locorum diſtinctis adeo capitibus ſe extuliſſe duplicem juriſdictionem ac in Scotia, & aliquot exemplis monſtraverim ibi maximè paribus utrinque votis & viribus hinc magiſtratum illinc conventus Eccleſiaſticos & presbyteria pro imperio circa ſacra & pro ultimo judicio de decretis & definitis in Synodis & conſiſtoriis decertaſſe : expectabam fratres mihi imputaturos me perperam culpaſſe quod ſibi laudi ducunt quod recti ſint pervicaces , acriter ut

æquum

æquum eſt pro imperio & poteſtate quam volunt traditam à Domino noſtro depugnantes, cum tanto magis ſint laude digniores, quod cæteros reformatos in Gallia, Germania & Belgio vincant ſtudio retinendi Chriſti diſciplinam illibatam & inviolatam. Nam revera ſi datur poteſtas Eccleſiaſtica & regimen perinde Eccleſiaſticum à Chriſto præſcriptum, idque independens à magiſtratu, tantum abeſt ut fratres Scoti ſint manifeſti poteſtatis perperam vendicatæ, quia ulterius quam cæteri Eccleſiarum reformatarum paſtores, eam poteſtatem porrexerunt, ut potius eo nomine tanto retinentiores æqui & recti ſint celebrandi: Paſtores vero qui Genevæ, in Palatinatu & in Belgio patiuntur magiſtratum modum ſtatuere diſciplinæ Chriſti, & ſatagere quæ nihil ad ſe attinent, omnino ſint graviter culpandi, & reprehendendi; ut jam cum Scoti vel toto cælo, vel nihil omnino errent, non poſſint reliqui presbyteriani paſtores extra

Scotiam

Scotiam in errore non versari, cum eam potestatem Ecclesiasticam medio modo habent, aut non totum largiendo quod magistratus est, aut non retinendo quod totum Christi est. Quocirca velim suggeri, quâ in re à me peccatum sit: neque enim quicquam affinxi, nec interpretando potui accendere assumptam potestatem, tanquam injuriam illatam Iesu Christo, apud eos cujus potestatis nec tædet, nec pœnitet, & pro quâ quasi pro aris & focis pugnant, immo sanguinem profundere non dubitant. Sane cum nemo, quod audiam in uno subsistat, in quo reprehensione dignus sum, subolere incipio veritatem odium in me & invidiam hanc peperisse, ac si fratrum nonnullos pœniteat potestatis hactenus perperam vendicatæ: quanquam spes sit in hac reipublicæ mutatione, ut tanto æquiore animo ferant rediisse ad magistratum, cum se humeris impari onere liberatos sentiunt, quod tamen forsan sponte deponere, non satis honori

ſuo conſultum eſſe, ne levitatis manifeſti eſſent, cenſuerunt.

Nolim cornicum oculos configere & aperto velo patefacere omnia miſteria poteſtatis iniquè vendicatæ ac habitæ & retentæ in Scotia; ſed quoniam fratres Scoti ſolent ſuam diſciplinam Eccleſiaſticam obtrudere & commendare aliis Eccleſiis ut legem Chriſti, conſilium eſt ejus ſpecimen exhibendo ſtrictim edocere ex archivis regni, ſenatuſconſultis, conſtitutionibus ſynodalibus, tum ex ipsâ formulâ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, atque ex uſu recepto à conventibus Eccleſiaſticis & presbyteriis, paſtores introduxiſſe poteſtatem plane æmulam & paria facientem cum Papali hierarchia & ad ſummum faſtigium evexiſſe molimen ædificandi imperii in imperio, ut quod (ut in magnis) voluiſſe ſatis fuerit cæteris Eccleſiarum reformatarum paſtoribus, Scoticanarum paſtores ad perfectum opus perduxerint: etenim apud eos magiſtratuum jura maximè decurtantur

tantur, eripiendo eis omnem jurisdictionem in religionis negotio, eumque mancipando Ecclesiasticis censuris & excommunicationibus juxta ac minimum de plebe. Tum ibi non minus quam ubi pontifex regnat, viri Ecclesiastici immunes habentur à potestate magistratus: sed nec tantum involant in jura magistratus sed etiam privatorum, eisque libertatem suam accidunt.

1. Cum jure naturæ, Divino & Gentium convocatio conciliorum pertineat ad summum magistratum vel eos qui in locum magistratus præsunt humano ordini; fratres Scoti abjudicant à magistratu potestatem convocandi Synodos, immo allegandi ad eas viros idoneos, ita tamen ut rebus reipublicæ turbatis eam licentiam indulgeant: nam rebus tranquillis, pertendunt pastores eam habere potestatem, eamque intrinsecam & delegatam à solo Christo: verùm pro suâ æquanimitate dant locum & suffragium magistratui, non tanquam

tanquam principi conventus, ſed turbæ ſuffragantium immiſto, à quibus poteſt ſuffragiis vinci. Hinc fit ut magiſtratus nullam habeat poteſtatem legiſlativam in ſacris, totâ in viros Eccleſiaſticos collatâ, qui non expectato principis conſenſu, immutant, refigunt à ſe definita & conſtituta. Sane cum Aº 1579. tum à comitiis regni, tum à rege per Epiſtolas monerentur conventus Eccleſiaſtici, ne quid in politia Eccleſiaſtica innovarent, quoad alterum parlamentum conſideret, irritæ fuerunt preces & monitiones: nam nihilominus non expectato publico conſeſſu rata ipſi habuerunt à ſe definita, quin quæſtionem decreverunt in Archiepiſcopum Fani Andreæ propter collationem duorum curialium beneficiorum & jus ſuffragii ſibi vendicatum in regni comitiis. Aº 1580. in conventu Dundinenſi decreverunt epiſcoporum abolitionem & ne quis poſthac ſub pœnâ excommunicationis Epiſcopatum ſuſcipiat, utpote pugnan-

pugnantem cum verbo Dei. In eodem conventu destinant in sequentem conventum consultare de reditibus episcoporum convertendis in alios usus, in quâ constitutione obstirmarunt mentem succedentibus Synodis; licet Aº 1584. Parlamentum reos majestatis pronunciaverit, quicunque delirarent extra cognitionē Parlamenti & ejus consensum de fundis & reditibus qui alendis episcopis erant destinati, cum tamen ipsi qui episcopatum abolendum volebant, eandem episcopatus imaginem retentam vellent, constituti episcoporum loco superintendentibus eisque episcoporum reditibus vel attributis, vel assignatis.

2. Propriâ authoritate dant authoritatem in presbyteria, & synodos coeundi; tum potestatem faciunt ordinandi exauctorandi excommunicandi, ut habet disciplin. lib. 1. cap. 4. & 6 quam quidem disciplinam cum non possent Parlamento persuadere ut ratam haberet, ipsi eam Ecclesiis obtru-

derunt

derunt, denunciatâ excommunicatione, ſubſcribere recuſantibus. Eâdem diſciplinâ lib. 1. cap. 9. & lib. 1. art. 6. decernunt de Decimis, fundis, prædiis, reditibus, agrorum locationibus eatenus aſſignatis xenodochiis ſacellis &c. Cum autem ejuſmodi molitionibus ſemper obſtaret Parlamentum, tandem ne quod hactenus vendicatum, (nec tamen aſſequi potuerant) ut etiam renuente Parlamento Eccleſiaſticis conſtitutionibus authoritas conſtaret, crederetur ſe renunciaſſe. Aº 1647. hanc pro imperio legem in conventu conſtituunt decretoriam. *Vt Parlamenta conſequutura patrimonia Eccleſiæ reſtituant, ita tamen ut nihil cenſeatur validum, priuſquam de ea re actum fuerit & concluſum.* Ejuſmodi canones continenter magiſtratuum aures verberabant, ſub ſpecioſo obtentu cauſæ Ieſu Chriſti Regis Regum, exercituum Domini & ſolius monarchæ Eccleſiæ, cum tamen interea nihil per eos majeſtati magiſtratus velificatum eſſet, ne ſi

haberent

haberent authoritatem apud plebem, quia essent rati ab eo, de authoritate Iesu Christi, hoc est presbyteriorum & Ecclesiasticorum conventuum quicquam delibaretur; quanquam ob alias rationes non ægre ferrent si quando à Parlamento probarentur & in legem irent, quod sæpius fiebat exigentibus rationibus Parlamenti, dedecens existimantis majestatē imperii, ullam legem vim obsequii exigendi obtinere, quæ à se non esset imperata aut probata, quam postulantibus conventibus Ecclesiasticis, qui tanto sequaciora Parlamenta utique semper sibi spoponderunt, quod potior pars nobilium & procerum coeuntium in cœtus Ecclesiasticos & ipsa allegaretur ad comitia regni: in quibus tanto semper æquior fuit in jura Ecclesiæ & pastorum, quanto pro more gentis in regium senatum & fastigium asperior fuit & malignior, ubi præsertim paribus studiis & viribus tuto existimarent posse ejus potestatem æmulari. Sed quicquid fuerit, certum est

eſt presbyteria longe ante erecta fuiſſe paſſim in Scotia, quam à Parlamento approbarentur, nam & ipſi fratres ſic loquuntur in diſciplinâ ſuâ quaſi penes magiſtratum eſſet leges potius ad decus quam ad neceſſitatem à conventibus Eccleſiaſticis latas ratas habere, refigere vero aut reſcindere, id injurium Ieſu Chriſto plane cenſent.

Sed audiamus fratres verbis facta ſua comprobantes. 1. Cum non ſemper recuſent eſſe judices in comitiis regni, namque in Dundinenſi conventu, Aº 1598. ſtatuitur verbi Dei miniſtros jus habere dicendæ ſententiæ in publicis regni conſeſſibus; ipſi omne jus ſuffragii abjudicant à viris laicis cum ſedent in Eccleſiaſticis conventibus, ut ait diſciplina lib. 2. cap. 7. 2. docent penes ſolos viros Eccleſiaſticos eſſe convocare Synodos: *Omnes Eccleſiaſtici conventus habent poteſtatem legalem coeundi ut de rebus ad Eccleſiam pertinentibus conſtituant, tum tempus & locum præfigendi.* Cap. 12. in conventu

Edimburgenſi Aº 1570. docent nos *Synodos habere judicium de vera & falſa religione, de doctrina, hæreſi, de electione, admiſſione, ſuppreſſione exauctoratione miniſtrorum, de definitione & conſtitutione quarumcunque rerum quæ pertinent ad diſciplinam Eccleſiæ: tum de re quacunque Eccleſiaſtica, de cauſis matrimonialibus beneficiariis, habere etiam juriſdictionem excommunicandi patrimonium ab Eccleſia avertentes, & reſigendi ſtatuta & conſtitutiones, quæ nec populo nec tempori congruunt abſque ulla interceſſione aut provocatione ad judicem civilē aut Eccleſiaſticum.* (diſc. lib. 1. c. 7. & 12.) ibidem dicunt ea privilegia ſibi conceſſa à Chriſto mediatore, & ab eo delegata, ut nulla extet poteſtas in terris, quæ ſibi aſſumere poſſit aut audeat attrectationem utriuſque gladii temporalis & ſpiritualis, quod quidem ajunt eſſe arcem papalem invadere. Vide Theorem. imp. Edin. Aº 1647. theor. 62. & 88. Ibidem dicunt defectum civilis ſanctionis eſſe quaſi lucrum ceſſans,

ceſſans, non damnum emergens, cum nec quicquam addat, nec ſubtrahat: Eccleſiæ diſciplinam & authoritatem conſtare, ſive illam ratam, ſive irritam habeat.

Verum ad ſolatium magiſtratus & delinimentum poteſtatis ereptæ; aſcribunt magiſtratui poteſtatem politicam & modum politicum convocandi Synodos, in Synodis præſidendi & ratas habendi conſtitutiones ſynodales: tum cuſtodem eſſe utriuſque tabulæ, curatorem Eccleſiæ: quæ ſunt grandia verba ſine re & munuſcula papalia regibus miſſa, grana benedicta, vexillum militare, quibus fatuis os oblinitur: etenim quod porrigunt unâ manu, alterâ retrahunt: Illâ concedunt magiſtratui poteſtatem circa ſacra cumulativam & auxiliarem, hac denegant poteſtatem privativam & deſtructivam ut loquuntur, per quam poſſunt Eccleſiæ jura intervertere. Hanc ergo poteſtatem deſtructivam ſibi paſtores retinent; ut ut ſit, ſibi authoritatem juriſ-

dictionis, magistratui vero solummodo judicium discretionis adjudicant; tum potestatem ὑπηρετικὴν, exequendi Ecclesiæ mandata, ut in republica Christiana, ut loquitur Gillespius, Pastores sint quasi intellectus, magistratus vero sit voluntas. Sic magistratum beant titulis & elogiis papalibus servi servorum Dei, & qui, ut par est, vocant se ministros Dei, reputant honori magistratuum satis consultum si in Ecclesiâ Dei servos servorum Dei se indigitent.

Quod autem ea potestas ascripta magistratui convocandi Synodos sit inane nomen sine re, hinc liquet, quod si eis creditur potestas sit officii & ministerii, non imperii & jurisdictionis cujus cura, ut loquitur Triglandius (libr. de potestate civili cap. 15.) non sit religionis cura, sed circa religionem; non formalis sed objectiva potestas, se exerens per modum politicum non Ecclesiasticum: per eam enim dicunt capita ad Synodos allegata ab injuriis externis

externis vindicari ut tuto & ſine onere conveniant; in Synodis libere definiant & doceant, tum ut per civiles pœnas plectantur detrectantes obtemperare ſynodalibus conſtitutionibus : externum hominem patere inſultibus contumeliis & injuriis malignorum, niſi à magiſtratu protegatur. Sic ſolent ablandiri magiſtratui, ut cum inflant buccas lib. 2. Diſciplinæ, dicentes officium eſſe magiſtratus Chriſtiani corrupto Eccleſiæ ſtatu ad exemplum piorum regum Iudæ aſſumere authoritatem quandam Eccleſiaſticam reformandi & repurgandi cultum divinum; ſed ſemel conſtituto cultu, tum par eſſe magiſtratum revereri vocem Chriſti in ore paſtorum, nec ſe ulterius immiſcere rebus, cauſis & negotiis Eccleſiæ qua gerens perſonam magiſtratus, quam quatenus per eos honor viris Eccleſiaſticis & robur eorum conſtitutionibus conſtat : quæ quidem eo recidunt, magiſtratum non eſſe reformatorem Eccleſiæ, niſi cauſâ valde

urgente & extraordinaria : quod ſane eſt magiſtratum in ſtipitem vertere & ſtatuere in nullum uſum à Deo in Eccleſia conſtitutum: & revera nolunt erroribus ſubrepentibus in doctrina aut diſciplina Synodos ordinario rationem decretorie definitorum reddere magiſtratui, has potiſſimum ab cauſas (theor. 88. 92. 94.) quia *ſi magiſtratus poteſtatem haberet immutandi, detrahendi & decurtandi jura Eccleſiæ, foret ſequior Eccleſiæ conditio ſub magiſtratu Chriſtiano, quam ethnico, neque enim Parlamenta minus errori obnoxia ſunt quam Synodi, nec magiſtratus judex eſt cauſarum de quibus in Eccleſia controvertitur.* Secundum quæ abjudicant à magiſtratu poteſtatem prohibendi & intercedendi judiciis & litibus in Synodis & preſbyteriis agitatis: nam nefandum & grande crimen id eſſe cenſent, ſi ſe tanquam judex interponat quod ajunt eſſe involare in jura & authoritatem Ieſu Chriſti: neque hic magiſtratus habet remedii locum

niſi

niſi obnixè precando ut cauſæ recognitio fiat & reviſio in alia Synodo: quod quandoque conceditur ea lege, ut quoad ſederit alius conventus, ſententia lata à presbyteriis aut ſynodis valida ſit. pari audacia correptum cenſent magiſtratum ſi appellationes à judiciis presbyteriorum & ſynodorum reciperet, cum id eſſet commiſſarios & delegatos Chriſti proculcare, appellando ab ejus tribunali ad tribunal mortalium hominum.

2. Longe graviſſimum eſt, quod diſciplina Scoticana eximat clericos à juriſdictione magiſtratus, adeoque re ipſa imperium in imperio ædificet, cujus iniquæ vendicationis aliquot exempla attulimus; unum imprimis Dav. Blaki, quod quia ſtrictim tantum tetigimus, juvat paulo fuſius ejus varios actus enarrare ad rei memoriam. Neq; enim quicquam magis exprimit imaginem imperii in imperio aſſumpti & vendicati. David Blakus Fani Andreæ miniſter A° 1596. pro concione inter

alia dixit. *Regis malam mentem, malum & perfidum animum hactenus dissimulatione pressum se in apertum prodidisse, cum per mortem Pontificius Dynastis reditum ad suos, Reges quotquot essent diaboli progeniem esse, diabolum sedem in aula & aulæ præfectis habere; Reginam Elizabetham plane ejurati esse numinis; proceres de nobilitate considentes in curia sessionis esse infideles & avaritiâ corruptos, ipsam vero nobilitatem degenerem, atheam, infidam & Ecclesiæ infidam.* De Senatu vero regio locutus est ut de *Phalocrocoracibus, & viris qui omnem sensum religionis abjecerant.* Ubi ad preces ventum est, *precandum* (inquit) *nobis est sed dicis tantum gratia pro regina, frustra enim ab ea quicquam boni expectandum est.* quæ pro dictis merces rependenda esset huic tenebrioni, reputandum cuique permitto. Conqueritur Angliæ legatus Dominæ violatam majestatem, quo nomine jussus est sistere se Senatui regio: at non ipse Blakus, sed Ecclesiarum delegati comparent

parent & pro Blako dicunt non concordare cum libertate Eccleſiæ ut delationibus tam frivolis fides habeatur, neve crimen recte factis intentetur. Blakum remittendum ad presbyterium: cauſam hanc non eſſe judicii regii, atque palam minantur & teſtantur, ni abſiſterent, ſe jus ſuum tuituros, evulgando ſcriptum, ſeu exceptionem fori, quam declinatorem vocant, quo publicè conteſtarentur de vi illatâ Ieſu Chriſto & de tranſitu poteſtatum ſecularium in caſtra Eccleſiæ & Regnum Chriſti, ſe non dubitare quin virum quemque zelo calentem permoveant, ut reputent jam actum de causâ Dei, niſi ſe viros & ſtrenuos præſtarent. Conſcribitur ejuſmodi declinator & ejus exemplaria plura diſtrahuntur & mittuntur ad presbyteria, adjunctâ gravi adhortatione & denunciatione, ut eum ſinguli ſubſcriberent, & hanc cauſam (quam non tam Blaki, quam Dei eſſe dicebant) precibus ad Deum tum privatis, tum maxime publicis com-

commendarent. Ibi rex conventum delegatorum solvi jubet, perstantibus nihilominus delegatis considere & per legatos ad regem monentibus sibi imputaret, si quid gravius ex solutione convenrus consequeretur. Rex licet pars læsa non leviter territus & metuens, tempestatem impendentem à presbyteriis si omnium eadem esset mens, blanda & pacem offert, quam non tantum non acceptant nisi prius fieret satis, ut loquebantur, Iesu Christo Domino & Regi, cui tanta injuria facta esset, sed & libellum supplicem (at nominetenus cum potius πεισθανάγκη esset) Regi offerunt, in quo se in easdem querimonias effundunt. repudiato libello, causa Blaki disceptata est à senatu regio & judicata capitalis, adeoque cognitionis regiæ. Ibi tum Rob. Pontius nomine totius Ecclesiæ Scoticanæ interpositâ solenni denunciatione conqueritur de injuria admissa in Iesum Christum, & ipse Blakus novam fori exceptionem seu declinatorem scribit: perstat

rex

rex repetitis nunciis pacis conditiones offerre, sed frustra omnia. Robertus enim Brucius Ecclesiæ orator palam & vehementer apud regem queritur de iniqua ejus agendi ratione, per quam præter jus & æquum occupaverat jura & privilegia regni Domini Iesu, quâ quidem gravius corda bonorum afflicta essent, quam supplicio viginti ejusdem cum Blako mentis. Nec inter hæc rex se præbet adversum pacis & reconciliationis conditionibus; quin ultro de suo jure paratum se testatur, modo conquiesceret hæc turba: quocirca senatus regius decernit, ut rex exoraretur, declarationem edere in gratiam Ecclesiæ, quâ Blako præteritorum veniam daret, siquidem culpam agnosceret Reginæ. Hanc cum accepisset conditionem rex; Blakus sibi non placere respondit, nec potuit adduci ut cujusquam delicti reum se fateretur, aut à quoquam deprecaretur culpam; sed regem & senatum regium ejuravit ut tribunal illegitimum, apud quod

non

non debeat disceptari causa, aut ipse judicari: affirmavitque judicium de suâ concione ad populum, alterius esse fori quam regii & terreni: quo nomine à senatu peragitur reus læsæ verbis & falsis criminationibus majestatis, & ad arbitrium regis puniendus: placet nihilominus regi mitior sententia; lubenter habituro reum extra noxam modo paululum de inflexibili pertinaciæ rigore remitteret. Sed ministri omnem repudiant conditionem, jejunium indicunt, præmisso programmate significante non aliâ ratione potuisse vindicari damna & injurias illatas Iesu Christo. Omnia turbis, metu implent Edinburgi: pœnitentiâ quidem flectitur populus; sed in pervicacia perstant ministri & instigant ad seditionem & fœdus nationale ineundum ad mutuam tutelam. Usque adeo exarserunt animi utrinque ut quidam Walche dixerit ad populum pro suggestu regem detineri Diabolo, immo septem diabolis, liberum esse subditis arma

corripere

corripere & gladium ab ejus manibus extorquere: Hamiltonus Dynaſta per litteras tentatur, ut dux partium eſſet, quarum cum copiam regi feciſſet, conquiſiti ut raperentur in carcerem miniſtri, ſed hi fugâ in Angliam apparitorum manus effugerunt. Præter cauſas allatas in paræneſi noſtra p. 81. propter quas imperium in imperio exertius caput extulerit in Scotia quam alibi locorum inter reformatos, exiſtimo hanc maximum momentum habuiſſe, quod iis locis ubi a populo, invito & reluctante magiſtratu, cœpit reformatio, plus ſemper ejus authores & vindices ut plurimum de clero viri, ſibi poteſtatem imperium & juriſdictionem ſeorſim & independentem à Magiſtratus poteſtate aſſumpſerint: neque enim potuerunt veræ religionis cultores inſpectante & indignante, immo vetante magiſtratu in coetus coire, quin primores eorum, partes magiſtratus, adeoque imperium & juriſdictionem ſibi ſumerent, præſcriptâ & imperatâ

ratâ disciplinâ; unde facile vindicatum & creditum quicquid potestatis necessitate temporum assumptum fuit à reformatis sub infenso, etiam retineri debere sub amico magistratu & perinde secum orthodoxo, quasi in jure divino positivo fundaretur, ut etiam magistratui orthodoxo non plus ad adjudicaretur quam idololatræ: cumq; grave esset assuetis imperio deponere imperiū, tum bona fide adolescerent potestas Ecclesiastica à nemine lacessita sub rege Iacobo, reformato quidem sed puero & per ætatem impari ut rebus illis super esset & suum jus nosceret & persequeretur, non mirum si eo adulto id imperii in imperio ad tantum culmen erectum non potuerit everti. at in Anglia longe alia facies & modus imperii in imperio, cum enim reformatio à magistratu quasi à capite in subjecta membra defluxerit, nullo negotio summa potestas obstitit imperio in imperio ædificando cum nemine communicato, sed retento summo imperio

&

& judicio de omnibus cauſis rebus & perſonis; inanibus, inter hæc conatibus & inſultibus, eodem modo cum Scotis animatorum propter eandem cauſam Eccleſiæ Genevenſis paſtores plus imperii circa ſacra attribuunt magiſtratui ſuo quam Scoti: at minime omnium jura magiſtratus decurtant Helveticarum Eccleſiarum paſtores. In Gallia nihil accidunt, ad quod neceſſitate temporis, locorum & dominorum non compellantur & cujus poteſtatem non faciat ſummus Magiſtratus. & ſane non mirum eſt quod fratres Scoti (& hæc eſt altera cauſa ſummi imperii in imperio fundandi in Scotia) præ cæteris nationibus & populis, ſi romanenſes excipias, imperium Eccleſiaſticum ad ſummum apicem erexerint; nam cum nulli magis in regium faſtigium iniquiores, & obliquiores adverſus potentes, non potuit deprimi regia poteſtas, quin per ejus ruinam aſſurgeret æmula poteſtas Eccleſiaſtica. ſed de fratribus Scotis κατ' ἀνδρα.

XIII.

XIII. *Occurritur objectioni, quod authorcauſæ ſuæ male conſuluerit, dum in Præfatione ſua excurrit in Apologiam Ioh. Dallæi & methodum Amyraldi.*

DEnique deſiderant plurimi in me prudentiam & peritiam captandi lectorum animos, dum paſſim in præfatione & corpore libri, prodo me infenſum, tum Amyraldianæ methodo, tum methodiſtis, cum potius, ſi eis creditur, debuiſſem gratiam præparare mihi Amyraldianorum, Synodorum authoritatem elevantium, nec ſuam ſententiam eorum judiciis & decretis mancipantium, adverſus partes adverſas quibus ſolenne eſt poteſtatem & authoritatem ſynodorum opponere methodiſtis; de hac methodo, inquiunt, ſi ſiluiſſem, me proculdubio habiturum fuiſſe Clar. Viros Langlæum, Dallæum & Amyraldum Paræneſeos meæ in ſumma rei & patronos

&

& vindices, avide arrepturos quicquid in ſpeciem uteret & diſtineret adverſarios: & nunc hos & illos mihi peperiſſe hoſtes; ſolum me & imparem, univerſos & conglobatos nulla negotio profligaturos. Idem mihi nudius tertius objectum Londini à viro amiciſſimo tum Amyraldianis, tum operis noſtri argumento. Is viſo excurſu noſtro in Dallæum, indignabundus ecquid, dixit, malum tibi creaſti? potuiſſes habere Dallæum amicum & favente cardini cauſæ; nunc pro certo experieris infenſiſſimum: Itane propriam cauſam examinaſti & prodidiſti? Sed his non commovetur, neque enim debuit utes illas adhibere ad patrocinium veritatis. Sed nec puto Viros illos Reverendos Langlæum, Dallæum & Amyraldum palam arripere ſententiam partium ſtudio, aut quia grata aut ingrata eſt cuiquam, ſimiles epiſcopis pleriſque nuperè in Anglia qui ut lacefſerent puritanos hierarchiæ infenſos, commodum putarunt in Arminianorum

norum castra concederet, quo pluribus armis in puritanos incurreremus. At de hoc triumviratu, vir longe Reverendus & mihi affinitate junctus Langlæus graviter per literas succensebat mihi, quod concordiam modò initam inter Reum Parentem & Clar. Amyraldum per Epistolas amœbæas, ab ipso Langlæo publicatas, dissuere tentaverim, dum hujus methodum passim vellico & ad cumulum in Clar. Vir. Ioh. Dallæi apologiam insurgo, quam ait non me fugere ipso clamitante. Verum pace Reverendi Viri & cognati plurimum obsetvandi dixerim me nullam concordiam initam agnoscere inter Patrem & Amyraldum, sive de amoris redintegratione intelligatur, hanc concordiam, sive de conspiratione in eadem sententia; neutram dixerit quisquam de novo inter eos coalitam; etenim non egent animi redintegratione amicitiæ, quæ nunquam fuit dirempta, ut minus amici essent durante collatione quam antea, sed nec per eam epistolarum

larum datariam miſſionem facta eſt in una ſententia conſpiratio, cum palam quiſque teſtetur ſe in priſtina opinione perſeverare, nec quicquam per eam benevoli animi mutuam ſignificationem recedere ab imbibitâ aut receptâ methodo Divinæ gratiæ tradendæ. Porro quia dixeram de Dallæi apologia quæ prodiit poſtero anno quam epiſtolæ illæ concordium animorum indices editæ eſſent, ſi quid peccatum eſſet refricando obducta vulnera, id Dallæo, non mihi imputandum eſſe; Langlæus hanc culpam mollit, cùm dicit eam apologiam editam Amſtelodami, neſcio & editionis imprudente Dallæo; at quis credat miſſam ad Blondellum, tum caluiſſe operas ſemeſtre ſpatium, nec clam nec in angulo circa ſcripti impreſſionem, cujus authori nihil innotuerit, aut putet quenquam tandiu deſudaſſe elucubrando operi, quod nemini unquam prodeſſet ſi intra Veſtræ penetralia aſſervandum eſſet. credat Iudæus apella; ego non credo.

At eximius in Gallia Theologus acerrimus vindex Amyraldi tum methodi tum nominis, per literas graviter conqueritur, quod vocaverim Amyraldum, interpolatorem Arminianismi, atque de viro non satis magnificè locutus fuerim; tum quod Cameronem in scenam produxerim: verba ejus sunt "methodus Amyraldi remotior est "ab Arminianismo & efficaciam spi-"ritus Dei circà omne bonum quod "præstamus magis ponderantem facit, "quam quicquid à te aut Domino "Molinæo affirmatur; quamdoquidem "faciat Deum authorem etiam boni "moralis quod in nobis est, quod "Theologi nostri, vulgo tribuunt, vel "consuetudini, vel educationi vel terro-"ri legum; & quâ fronte vocas "D. Amyraldum Arminianismi inter-"polatorem: quâ etiam fronte reponis "eadem de Cameronte quæ D. Moli-"næus palam fecerat cum tanta omni-"um bonorum offensione, & loqueris "de eo tanquam de viro qui extravagatur;

gatur; cum tamen non dubitem de " eo affirmare nos non esse dignos qui " solvamus ligulas calceorum ejus, si " etiam superstes esset; atque ejus stul- " titias longe excellere virtutes quas " nobis perperam tribuimus. sanè si " stultitia Cameronis potior est sapientiâ " cæterorum theologorum & virorum doctorum, non satis excelsi erunt cæli ad quos pertingat sapientia & eruditio Amyraldi, qui haud dubio tantum Cameroni præstat quantum vult vir eximius Cameronem supra Theologorum vulgus eminere. nihil confinxit Rev. Parens de Camerone: narrationem verò quam de eo facio, habeo à fide dignissimo viro Andrea Riveto. Ipsius scripta docent parum sibi constitisse, sed modo ad orthodoxos, modo ad Arminianos inclinasse; sed quanquã Camero gregi infimo Theologorum inserendus esset, ut Turcis incumbit Mahumedem longe maximum prophetam prædicare, à quo religionem suam trahunt, sic magni ad famam

& honorem methodi interest ut originem ducat à viro eminentissimo. Fateor viso tanto vilipendio re. parentis, in apologia pro duabis synodis, me commotiorem fuisse in ejus authorem, alioquin ingenio, eruditione & famâ clarissimum, ut mirari satis nequeam, virum scriptis jam celeberrimum quæsiviſſe nominis incrementum ex defensione Amyraldianæ methodi acriter quidem & amicè instabat ac exposcebat Rever. Vir. Io. Baptista Stuppanus cui copiam feceram nostræ præfationis antequam prælo committeretur ut magna nomina in quibus Dallæus, magis revererer, illique aut potius mihi parcerem; sed pietas in parentem & amor veritatis quam à magno viro videbam opprimi aut dissimulari, rogare coegerunt Stuppanum ut rogare mitteret, patereturque me in hoc uno eodem animo sibi repugnare quo in omnibus obsequi soleo. nec de Amyraldo locutus sum infra eruditionem ingenium & eloquentiam, quæ

munera Deus ei largitus est ad cumulum: tantum damnavi in viro pruritum nova & mira confingendi, & à via trita à theologis reformatis discedendi, tum affingendi fratribus Anglis quæ nec sunt nec creduntur ab eis. nempe non potuit vir inhians famæ avidius quam consultius, quique eam duplici opere in solido locasse confidit & unâ gratiam apud potentes & viros de ordine Ecclesiastico iniisse, horum & illorum potestatem vindicare sine aliena injuria. sed an meliori successu defenderit summarum potestatum majestatem quam potestatem Ecclesiasticam, proferam Iudicium de ejus libro cui titulus *de la Souveraineté des Roys* seu *de summa potestate Regum* viri clarissimi regii fastigii propugnatoris acerrimi, cujus nomen etsi reticeo, non ægrè ferret judicium de libro Amyraldi pro suo agnosci. verba ejus sunt, *Vidimus libros Amyraldi, Heraldi & aliorum de potestate regum. Ego in ea sum sententia summam majesta-*

tem imperantium ubicunque sedem posuerit, seu in uno, seu in pluribus personis, inviolabilem esse & sacram & cui obsistendum non est; tum inter omnes potestates, regiam cum titulo tenus non est, sed summa, accedere proxime ad imperium Dei soli ἀνυπευθύνου, quales erant Reges Israelis, Iudæ, Persarum, & sunt hodie Turca, Reges Galliæ & Angliæ, qui soli Deo non hominibus peccant, eique soli reddendis rationibus sunt obnoxii; immo expedire ad bonum universi & cohibendas spes nova molientium ut monarchæ potestas pene sit dictatoria; sæpius enim evenit, ut Pompejus dicebat de romanis, populos non posse esse fœlices sine beneficio servitutis; non posse aliter rationem constare nisi uni constet, ad quem pertineat. 1. aliis legem dare non accipere. 2. legibus solutum esse. 3. magistratus creare. 4. jus mittendi legatos ac recipiendi. 5. jus vitæ ac necis. 6. jus & imperium summum circa sacra. 7. extrema provocatio. 8. bellum inferre & pacem facere. 9. monetam cudere. 10. jus vectigalium & tributorum. ejusdem sententiæ licet Amyraldus, Heraldus & alii sint vindices, non puto tamen suis scriptis regum majestati satis consuluisse, duas potissimum ob causas. prima est quia ut Papæ, sic rerum potentes non putant tutum esse sua jura nisi gladio disceptari, ne cupido incessat populos juris regii gnaros eorum imperia interpretari non exequi; etiam qui ascribunt potesta-

tem

zem ſine modo, docere quis modus eorum imperio à nonnullis ſtatuatur: Secunda cauſa, quod, quanquam modus imperii conceſſus regibus Iudæ ſit optimum exemplum quod omnes gentes imitentur, attamen cum jus regni Iudaici non reputetur præceptum ſic obſtringens ut alia forma imperii velut ariſtocratici, democratici, immo regii democratiâ aut ariſtocratiâ temperati legitima quoque non cenſeantur, incaſsùm viri illi ſudant vindicando poteſtatem regum in genere; cum potius deſcendendum fuiſſet ad particularia & propria jura regalia, ut, cognito jure principis per leges & conſuetudines regni puta Angliæ, Galliæ, Poloniæ, Sueciæ, modoque imperii à ſingulis habito, non hærerent in aſſignando obſequio quod ſummis poteſtatibus debetur: nam ſi centies probetur Reges eſſe unctos Domini; tum ſummis poteſtatibus, ut jubet S. Paulus obtemperandum eſſe, fruſtra fiet niſi conſtet Principem qui obſequium exigit ſumma præditum poteſtate cum nemine communicata: neque enim nomini regio ſubpoteſtati ſummæ regis debetur obſequium: quis neſcit primum Lacedemone ephorum regis nomen habuiſſe: tum idem vocabulum regis retinuiſſe plures ſine vi imperii ut refert Tacitus de regibus Germaniæ Galliæque lib. 4. Hiſt. qui erant præditi authoritate ſuadendi non jubendi poteſtate: & Solinus lib. 35. de jure regum apud Hebrides: Rex nihil, (inquit) ſuum habet, omnia

nia universorum; ad æquitatem certis legibus stringitur; ac ne avaritiâ divertat à vero discit paupertate justitiam, utpote cui nihil sit rei familiaris, verum alitur è publico. *Sane nemo differentem audiret de potestate paterna aut maritali, qui statim non caperet Patris nomen jus & officium non esse homonyma; certos limites patribus imperii, liberis obsequii appositos à Deo, naturâ & consuetudine gentium: consimiliter etiam qui nescit quot sint formæ regiminis politici nec per somnium audivit quid aristocratia, quid democratia sit, ad primam auditionem verborum S. Pauli* obedite supremis potestatibus *assentiretur obtemperandum esse illi aut illis qui summâ præditi sunt potestate. at qui novit eundem modum potestatis ab omnibus qui nomen regis retinent non haberi, tandiu incertus erit obsequii præstandi quoad compertum habuerit qui limites figantur tum imperio regnanti tum modo imperii*: quocirca cum titulus libri *Amyraldi præ se ferat omnes reges præditos esse summa potestate, satius fuisset id non de omnibus sed de hoc aut illo cui* αὐτοκρατορία *debetur, affirmasse. absque hac exceptione titulus libri est mendax: neque enim omnes Reges sunt* αὐτοκράτορες. *Ego profecta, cum ipsius & symmystarum diatriba prodiissent ex occasione rerum in Anglia mutatarum expectabam ex titulis ut de potestate & authoritate regum Anglia per regni archi-*

va, ſtatuta, tum conſuetudines regni pace belloque diſſererent; nam prope capitale fuiſſet ſollicitare jura regum Galliæ; at nihil horum ab eis fit, ſed facem ſoli præferunt, operosè obvia & expoſita aſtruentes, hoc eſt in locum communem pueris notum excurrentes qui eſt de obedientia debita ſummis poteſtatibus.

Hæc ille: cæterum hocce libro deſtruit quod libro de regimine Eccleſiæ ædificat. Illo enim omnem poteſtatem omne judicium & imperium circa ſacra non ſolum regibus aſcribit, ſed & omni magiſtratui & poteſtati perinde ſummæ, nam in omnibus parem majeſtatem & unctionem agnoſcit. ſed plura non addo, ne nimia excuſatio & purgatio aliquid peccati præ ſe ferat.

FINIS.

FINIS

LUDOVICI MOLINÆI

ADMONITIO

De

PARÆNESEOS

Suæ

ERRATIS.

Diluuntur accusationes & imputationes virorum doctorum. de utilitate quæ accedit ex hoc argumento palam facto: an author Parænescos damnet disciplinam in Ecclesia? Quo sensu spiritus privatus & magistratus dicantur judices fidei & controversiarum. locus S. Pauli 1 Cor. 5. v. 13. tollite improbum, &c. in quo præceptum pro excommunicatione repo-

reponitur præsidium, accuratius exponitur & examinatur. locus Matth. 18. v. 18. attingitur, probatur tam favere pontificiis quam presbyterianis. an abjudicandum imperium circa sacra à magistratu ob hanc potissimum rationem quia non potest simul tot negotiis superesse? Exemplum propositum à Cæsare Calandrino ut probet necessitatem duplicis fori & jurisdictionis in una republica, examinatur, continuatio narrationis de Elia Delmeo. Erratum unicum in Paræneſi gravius excusatur; reliqua quæ sunt partim typographi, partim amanuensis indicantur & emendantur. anacephaleosis & conspectus totius controversiæ de potestate Ecclesiastica.

CUm superiori corollario id solum agerem ut argumentum paræneseos meæ, tum etiam consilium edendæ vindicarem à calumniis, tum malignorum,

rum, tum bonorum quidem virorum, sed qui, aut non perlectum librum, aut aliorsum acceptum, aut (quod credibilius est) quia ipsi sunt excæcati præjudicio, passim in sermonibus & per epistolas, ut pestilentem & hæreticum proscindunt & dilacerant, sustinui me novo auctario testimoniorum & argumentorum ad epimetrum corroborare, quæ satis firmis tibicinibus fulta in paræneſi mea existimarem; alienum etiam opinatus antegressâ dissertatione præoccupare animos in me arma expudientium. Verum cum de novo penè quotidie eadem mihi & amicis per epistolas inculcentur, quæ scripto publici juris facto objicerentur, cumque gravioribus imputationibus opus, ipseque author onerentur, commodum duxi tentare, tum eluendo maculam inustam nomini nostro, tum evertendo machinas nonnullas quibus putant, si non subrui, saltem concuti nostrum ædificium, an forsan labore eos exolverem qui in me parant scriptionem.

Id

Id opto & ſpero, ut cum in confutatione confirmationis theſium Eraſtianarum, nec Reverendus Bèza, nec quiſquam alius (immo nec Clariſſimus Henricus Hamondus qui anhelus pervenit ad examen theſeos nonæ) hactenus id laboris plenè, ſolidè & cogentibus rationibus aggreſſus fuerit, ita ſupervacuum laborem exiſtiment convellere ſcriptum omnibus telis impenetrabile & veritatis inconcuſſæ & cui recta ratio & ſcriptura juxta aſtipulantur.

Inania ſunt tentamenta quibus proludunt, infamantes authorem & accuſantes ſuperbiæ, temeritatis, levitatis, hæreſeos & mendacii, niſi unà digitum intendant in ea loca quibus ſuperbè ſe geſſerit, aut mentitus fuerit. Sed non ſi præjudiciis occupent animos, per id unquam efficient ut invidiam placem veritate relictâ. Reverendus Miniſter in Gallia acriter in me inſurgens rogat per literas, *Quid commodi ex materia ejuſmodi palam facta, ſit redundaturum in*

Ec-

Eccleſiam Dei ? an inde populus promptius imbiberit doctrinas de regeneratione & de veteri homine cruci affigendo? an obſequentiores fient paſtorum monitis? an per id major honos miniſterio & Sacramentis ? Paria ſolebant reponere Phariſæi Domino noſtro, ethnici Chriſtianis, Pontificii reformatis, quorſum conturbatis totum orbem? myſtis ſacris & altaribus honorem & venerationem detrahitis, unde bella ſchiſmata, hæreſes. Quid profuit elevare authoritatem Papæ, ubique in Europa ſubmiſſis capitibus, conſpirantibuſque votis receptam, atque cum magnâ altâque pace conjunctam, niſi ut (poſtquam cœpit eſſe dubiæ fidei) populos inter ſe committeret, tum doceret eos inſurgere in dominos & ἀντιθέσεις atque novis & nondum auditis dogmatibus ſtudere? nemo enim dubitat ex occaſione reformationis à Luthero cœptæ populos obductâ animis caligine diſſipatâ, intelligentiores factos tum ſui, tum magiſtratus

juris, atque ex eo mentibus ſemel arrectis ad nova & mira enatas & arreptas numeroſiores quam antea hæreſes. Verum multum commodi Eccleſiæ accedit noſſe quâ authoritate, an delegatâ à Chriſto, an perperam vendicata, paſtores prædicent Evangelium & adminiſtrent Sacramenta : nam tametſi poſſet fieri ut quis converſus ſit ad fidem & in ea perſeveret ad ultimum vitæ ſpiritum per miniſterium viri tum occultè improbi, tum qui propriis auſpiciis munus adeptus eſt: attamen non eſt putandum in errore verſari, qui larvam huic detraheret, nec per id vereretur fidem percellere infirmorum qui hauſerunt eam ab eo qui ſibi non credidit. Conſimiliter non video quâ in re culpandus eſt qui aliquam partem poteſtatis habitæ à paſtoribus, ut eſt excommunicandi, exauctorandi & leges ferendi in Eccleſia definitive, aſſereret non eſſe delegatam à Chriſto, quanquam non dubitaret per alteram partem quæ eſt prædicandi Evangelium

lium homines ſalutariter pervinci & perduci ad cognitionem Chriſti, nec eſt quod pertimeſceret cujuſquam fidem concuti, ſi is pernoverit quibus limitibus definiatur tum poteſtas paſtorum tum libertas Chriſtianorum, ne patiatur ſibi imponi, non eſſe impugnandam poteſtatem ſub quâ fides & pietas ſalvæ forſan ſunt, attamen minus tutæ, ubi error aut fraus eſt retectus, aut argumentum eſſe ut religionis ſic poteſtatis ad normam legis Divinæ habitæ, quia ſub ea pax incorrupta & minimè laceſſita ſervatur, nam & ipſe vir doctus, fatetur Romanæ Eccleſiæ interruptam eſſe pacem & miram eſſe congruentiã omnium partium. Addit vir doctus. *Quanquam ſententia quæ ſubjicit Eccleſias epiſcopis aut ſynodis, non ſit juris Divini, nonne prudentia Chriſtiana, immo natura ipſa quæ quærit conſervationem ſui, neceſſario requirit ut omnes partes corporis apte ſint unitæ & inter eas ordinatio ſervetur ut conſiſtant.* Hic ſubit me admiratio cur tantum

pulveris concitet Vir reverendus, ut operoſe mihi mea ſuggerat, nempe ut ſaltem poteſtas illa Eccleſiaſtica retenta in coalitione Eccleſiarum fundetur in jure naturæ & prudentiâ Chriſtianâ, nam id ipſum paſſim inculco & ferme in limine libri, ubi affirmo, ubi magiſtratus non eſt orthodoxæ fidei cultor, aut non ſuſcipit procurationem rerum Eccleſiæ ut ab eo dependeant, imperatâ diſciplina ad typum civilis adminiſtrationis, plane expedire, immo neceſſe eſſe ad hæreſes arcendas, concordiam in fide teſtandam ac ſervandam, Eccleſias particulares in eadem fide conſpirantes per ſynodum coitiones & confœderatam diſciplinam in unum colligari; ſed, non inde lacrymæ, nam ſi vir doctus nudet intima, proculdubio dicam ſcribet Clar. Meſtrezatio quod lib. 3. cap. 12. mecum affirmet diſciplinam Eccleſiaſticam quancunque fundari in jure humano & prudentiâ Chriſtianâ. Verba ſunt. *Nihil in externo ordine & politia circa cultum Divinum ſpe-*

ſpeciatim definivit Deus, ſed id tantum præſcripſit, ut omnia decore & ordinate peragantur. Et epiſtolâ ad me ſcriptâ, cujus mentionem feci in Corollario, expreſsè dicit nihil ſpeciatim in diſciplina præſcripſiſſe Deum; climacem illum appellationum à conſiſtorio ad ſynodum provincialem, ab hac ad nationalem *aſſumptum propter neceſsitatem ordinis non propter conſcientiam*: hoc eſt non ut obtemperaretur divinæ poſitivæ, ſed confœderatæ diſciplinæ, locis, temporibus & dominis attemperatæ. Mirum ni virum magnum hoc ſermone arceſſat hæreſeos, & de illius libro quod de meo pronunciet: per- " niciosiſſimum eſſe librorum quos " unquam viderit ire in vulgus, eo " ſpectantem ut factiones foveat inter " Eccleſias Anglicanas, corroboret in- " dependentiam & contemptum " omnis diſciplinæ, licentiam introdu- " cat, detque locum omni generi " hæreſium & ſchiſmatum. Pari obelo " confodit totam ſcriptionem cum dicit,

"nonnisi duobus generibus homi-
"num arridere potest hic liber, politi-
"cis quidem quibus semper solenne
"fuit Ecclesiæ potestatem deprimere;
"libertinis verò avide arripientibus
"rationes & causas ad proculcandum
"censuras Ecclesiæ & excommunica-
"tionem ut figmentum humanum &
"terriculamentum avium. utrique in
culpa gravi essent si potestati verbi ad-
versarentur & authoritatem pastorum
non revererentur, aut legibus disciplinæ confœderatæ non obtemperarent
in quam ipsi consenserunt: extra quam
obligationem, cum Deus præsentiam
polliceatur duobus aut tribus in nomine suo congregatis, planè Dei judicium
susquedeque haberet, qui sana monentium authoritatem defugeret. at non
alium fructum finem aut successum
promisit Deus præsentiæ Divinæ aut
potestatis, quam quæ se exerit in eos
quib. persuaserint: si non permoverint;
aut pastores reputarint se potestatis
quæ non est verbi esse primos condos

&

& diribitores, tum parere recuſantibus non magnum eſt peccatum inſtillare rebellandi animos adverſus poteſtatem iniquè occupatam, cum procul dubio non minori crimine is caput alligaret qui morem gereret poteſtati perperam aſſumptæ, quam qui in legitimam inſurgeret.

Grave illud dicit in Paræneſi mea *quod ſuffragia paſtorum in ſynodis non æſtimem ultra quam reſponſa prudentum.* Plinius lib.6.cap.24. ait multum intereſſe quid à quoque fiat, eadem enim facta ex authore, aut humillimè deprimi, aut altiſſime extolli, & Angli proverbio dicunt minus peccare quoſdam anſerem furto ſubripiendo, quam nonnullos furtivis tantum oculis in anſerem reſpiciendo. Nam id quod vir doctus ait erratum eſſe meum, probavi eſſe ſententiam Riveti, Cameronis, Mareſii, &c. Mareſius enim loc. com. 16. theſ. 77. ait, *Quæ eſt medicorum conſultatio circa valetudinem corporis talem eſſe ſynodorum conſtitutio-*

nem in rebus ad animam ſpectantibus. Rivetus to. 1. p. 1374. dicit *juriſdictionem collegii Eccleſiaſtici eſſe directionis & conſilii.*

Non levius erratum id dicit eſſe meum *Spiritum privatum eſſe ſummum judicem controverſiarum.* At id non ſimpliciter dixi, ſed tantum unicuique lumen proprium ſpiritu Dei illuminatum judiciumque diſcretionis eſſe judicem controverſiarum, quo duce & præeunte ut ait S. Paulus omnia probat, retinet quod bonum eſt: tum dixi Iudicia paſtorum eſſe declarativa & ſuaſoria, magiſtratus vero eſſe imperativa. Subjicit, *Licet novam theologiam cudas, nullum tamen locum allegas ad ei authoritatem aſtruendam, nec in toto libro legi ullum quo probetur magiſtratum eſſe judicem fidei.* Quid? an nova eſt theologia ſtatuere in foro externo neceſſitatem parendi ſynodorum aut presbyterorum judiciis & decretis imponi à ſolo magiſtratu: magiſtratum vero teneri nihil imperare cœco judi-

cio

cio ſed deſpicere quid à paſtoribus ſit decretum, ut loquitur Camero de Eccleſia p. 337. unde conficitur quatenus tum ultimum judicium de re decreta à paſtoribus, pertinet ad magiſtratum, tum vis obſequii à ſolo magiſtratu dependet, non incommodè magiſtratum dici Iudicem ſummum controverſiarum: nunquam enim à me alio ſenſu dictus eſt magiſtratus judex fidei; nam ſi imperaret cuipiam fidem Romanenſem, haud dubium vir pius deberet provocare à judicio imperativo fori externi ad judicium proprium diſcretionis & lumen fidei in foro interno, Deo potius & dictamini conſcientiæ morem gerens quam hominibus.

Damnat & illud tanquam dogma peſtiferum, quod aſſeram jure divino & naturali Eccleſiam unamquamque particularem eſſe independentem. Damnandus ergo ex æquo Spanhemius Epiſt. ad Buchananum p. 51. cum dicit. Eccleſiam particularem unam " nihil

" nihil habere poteſtatis in aliam, ſed " omnes eſſe collaterales æqualis juris ac authoritatis. Damnandus & Amyraldus dicens. Nullam Eccleſiam " habere poteſtatem in aliam niſi " propter communionem quam inter " ſe conſtituerunt, lib. 8. de Guber. Eccleſ. nam id ipſum ſæpius urgemus immo & jure Divino & naturæ, (ſed non poſitivo, nec propter aliquod mandatum peculiare perpetuum) debere Eccleſias particulares mutuam conſociationem inire, ita tamen, ut ait, " Ameſius, Medull. c. 39. ut iſta conbi- " natio non conſtituat novam Eccleſiæ " formam, nec tollat aut minuat liber- " tatem ac poteſtatem illam quam " Chriſtus ſuis Eccleſiis reliquit, cui " tantum dirigendæ ac promovendæ " inſervit.

Rancida ſunt quod cælum terræ, humana divinis, rempublicam Eccleſiæ, regnum Chriſti regno mundi, ſacra profanis, ſpiritualia carnalibus, civilia Eccleſiaſticis, poteſtatem claviumIuriſdictionis

dictionis hominum miſcuam: nam hæ verborum bullatæ nugæ minimo flatu abeunt in auras: neque enim hæc objectio quicquam habuit ponderis ante bis mille annos, aut ſub piis principibus Davide, Ezechia, Ioſia, ſub quibus, quæ erat Eccleſia, eadem eſſet reſpublica; ubi ſine confuſione munerum nulla obtineret diſtinctio ſeu coordinatio juriſdictionum, ſed una eſſet Syntheſis juriſdictionum, tribunalium & conceſſuum tanquam membrorum continenter toti adhærentium & aptè ſubordinatorum, cum tamen ſuum cuique munus ſeorſim eſſet demandatum, ſuaque functio aſſignata, nec propterea turbarentur quæ Deus diſtincta immo diviſa voluit, ſed magiſtratus eſſet caput, cuſtos, rector & vindex omnis ordinis legis, & conceſſus in foro externo; Deo verò conſtaret regnum ſuum in foro interno ſeu in cordibus hominum quos miniſterium prophetarum præſtiterat populum obſequentem Deo: hujus imperium

perium effet in circumcisos corde, illius in circumcisos carne. de tertio regno, quod sacerdotale in Ecclesia Iudaica, presbyteriale verò in Christiana volunt, altum in scriptum silentium. Hujus regni, ubi vestigia in scriptura ostenderint, aut monstrarint dari gladium qui neque est verbi nec magistratus gladius, qualem dicunt, esse gladium censurarum Ecclesiasticarum, reum me fatebor conturbati ordinis Divini & humani.

Post criminationes, machinis aut potius festucis conatur transverberare munimēta nostra, ait *me nullam afferre locum scripturæ qui jure aut injuriâ impugnet excommunicationem*, profectò ut citius pilos in vola manus desideres, quam reperias excommunicationem in Scripturâ sacrâ, sic non potui allegare ullum locum ex scripturâ quo excommunicatio damnetur, nam neque quoquam Scripturæ loco disertis verbis damnatur purgatorium aut transubstantiatio; non neganti excommunicationem,

cationem, ſed affirmanti incumbit probatio: quanquam ea ſit natura eorum qui affirmant etiam abſurda quæque ut potiorem ſuam conditionem credant quam negantium: hi verò revera putent cauſam ſuam infirmari & debilitari quia ipſi de grege negantium ſunt: quâ fiduciâ qui affirmant excommunicationem eſſe conſtitutionem divinam, ipſique hunc gladium ad libitum condunt aut ſtringunt, tantum ſe ſuperiores reputant id negantibus, quantum Pontificii exiſtimant imbellem eſſe inſultum argumentorum oppugnantium dogmata de purgatorio, indulgentiis, cleri cœlibatu, quæ poſſeſſione & per poteſtatem armatam retinent: egregiè Verulamius Inſtauratione magnâ, *Is humano intellectui error eſt ut magis moveatur & excitetur affirmativis quam negativis*: fateor me qui de numero ſum negantium excommunicationem eſſe divinum inſtitutum, non habere locum ſcripturæ id diſertè negantem. ſed credidi

credidi satis esse docuisse non extare in scriptura & pugnare cum recta ratione, tum monstravisse cum centies in novo Testamento potestas pastoralis describatur, nunquam tamen sumi pro potestate judiciaria leges condendi, de capitibus fidei judicandi, excommunicandi, exauctorandi, &c. sed semper pro potestate interna verbi per quam homines prædicatione convertuntur ad Deum, ut fusius indico Paræn. cap. 11. pag. 199. & certè Scriptura cum duorum gladiorum meminerit nullibi comparet tertius gladius censurarum Ecclesiasticarum. verùm placet quæcunque authoritas etiam sine ratione retenta ut Cicero de natura Deorum dicebat de discipulis Pythagoræ, *apud quos*, inquit, *tantum opinio præjudicata poterat ut etiam sine ratione valeret authoritas.*

Urget locum 1. Cor. 5. v. 13. *Tollite improbum*, &c. quem locum vel solitarium ait satis validum ut à me extorqueat tum confessionem veritatis, tum

tum gratiarum actionem Deo propter repertam poteſtatem Eccleſiaſticam ligandi & ſolvendi in foro externo. Hic, ut Pythagoras obtulit hecatomben propter inventam propoſitionem quæ Euclidis eſt 47. lib. 1. alter Gilleſpius clamando ἔρηκα perinde ſuæ poteſtati litaret. At nullam vim ex hoc loco accedere excommunicationi probavimus c. 12. ut nunc leviori brachio attrectandus ſit.

1. Certum eſt hoc capite quinto S. Paulum unâ cenſurâ notare inceſtum, teſtibus omnibus theologis, qui volunt traditionem Sathanæ intelligendam eſſe de excommunicatione, ac proinde ſi potius fides eſt adhibenda re. parenti, tum Bullingero, Ant. de Dominis, Capello & Gualtero, qui nolunt traditionem Sathanæ intelligendam de excommunicatione, tum excommunicatio nullum locum habitura eſt in hoc capite, ſed in unicam cenſuram ſeu traditionem Satanæ confluet: fatetur quidem vir doctus eam tra-

traditionem Satanæ à pleriſque doctis non intelligi de excommunicatione, at vult eam expoſitionem monſtrum eſſe interpretationis, per quam ait ſcripturam non explicari ſed torqueri.

2. Quia dixeram illum actum in *Tollite* eſſe univerſitatis actum & totius communitatis non unius aut duorum paſtorum, regerit non obſtare quominus poteſtas excommunicandi cœperit à paſtoribus & mox cum tota plebe Chriſtiana communicata fuerit, ut cum rex mandat civitati ut furem cruci affigat, non ſequitur provinciam eam non datam potiſſimum primoribus civitatis. Verum totus contextus docet populum fidelem æquas habuiſſe partes cum paſtoribus in tollendo inceſtu & Calvinus in Matt. 18. ad locum, *Dic Eccleſiæ* expreſſe dicit *Paulum Corinthium inceſtum non ab aliquo delecto numero* (adeoque non à paſtoribus ſolis aut à presbyterio) *ſed à toto populorum cœtu excommunicari juſſiſſe.*

3. Nec

3. Nec hæc verba *Tollite*, &c. ſpeciatim denotant an intelligenda ſint de tollendo à vitæ conſortio an à toto cœtu, an vero ab Euchariſtiæ participatione. Si à cœtu, quod credibilius eſt, tum hic locus non aſtruit poteſtatem excommunicandi, ſeu à participatione Euchariſtiæ arcendi eos qui ſunt pars cœtus.

4. Actus tollendi qnenquam à cætu ſuo, non eſt magis poteſtatis Eccleſiaſticæ, quam poteſtatis medicæ & fabrilis; nam jure perinde naturali & gentium omnium eſt juxta arcere à ſuo collegio aut corpore morbidum membrum.

5. Lex eſt tum naturæ tum conſeratæ diſciplinæ, ut in quocunque cœtu hominum major pars habeat poteſtatem expellendi minorem, ac proinde ſingularem hominem, ut non opus ſit recurrere ad jus poſitivum & præceptum peculiare quo paſtoribus data eſt poteſtas quenquam excommunicandi adeoque inceſtum.

6. Nec si verba *tollite*, &c. sic exponenda essent. *Alloquor vos imprimis qui pastores estis, tollite è medio vestrum per excommunicationem majorem, hoc est à toto cœtu & congregatione fidelium.* sequeretur actum illum tollendi potius esse Ecclesiasticum quam civilem, nec subordinatum illis qui in Ecclesia loco magistratus præsunt humano ordini, ut si tunc fuisset Magistratus Christianus, non debuisset inquirere in illum actum excommunicationis, eum recognoscere, & de eo apud se statuere & constituere; etenim magistratu tunc non curante aut inspiciente res Ecclesiæ, ille tollendi actus soli Paulo subordinatus fuit, qui solus summo judicio debuit imperare hanc censuram, modum illi statuere, eam rescindere, & incesto ignoscere, aut author esse ut ei ignosceretur: at rebus humanis exempto Apostolo debuit actus tollendi & arcendi vel à cœtu, vel ab Eucharistiâ subordinatus esse illis qui summo cum imperio præsunt humano ordini, seu in Eccle-

sia

ſia, ſeu in republicâ ; in Eccleſia quidem ſi ſinguli cœtus ſub magiſtratu Chriſtiano induerint naturam liberi populi, ut ſuas res ipſi ſatagant ; at in republica ubi omnis poteſtas Eccleſiarum concedit in jura Magiſtratus juxta ſecum orthodoxi. Quid? quod in toto Veteri Teſtamento ubi vocabula tollendi & expellendi habentur, nullus horum actus independens eſt à judicio eorum qui imperium habent in expellentes aut tollentes : ſic Geneſ. 35. v. 2. actus pellendi alienos Deos ſubordinatus erat imperio Iacobi, ut Iacobi imperium ſubjectum erat imperio Dei. Sic Ioſuæ 23. v. 5. ubi dicitur Deum diſpuliſſe nationes, hic actus erat tum Dei tum ducum, tum etiam populi in armis, ita tamen ut & expellere in populo actus eſſet ſubordinatus imperiis ducum, ut ducum imperia imperiis Dei.

7. Sed ponamus Eccleſiam nulli poteſtati ſubordinatam eſſe, tum cum recidat in conditionem populi liberi,

cum expellit à ſuo corpore aliquem, nihil agit quatenus Eccleſia Chriſtiana, ſed cœtus liberorum capitum ſe moventium verſus eos actus, qui ſunt in poteſtate cujuſque liberæ ſocietatis.

8. Sed demus S. Paulum verbis *tollite*, &c. poteſtatem Eccleſiæ aut paſtorum agnoviſſe authoritate judiciariâ excommunicandi inceſtum aut quenpiam de cœtu ſuo impium & ἄτακτον; plane oportet tum ut ea poteſtas non primum acceſſerit Eccleſiæ aut paſtoribus tempore Pauli, ſed prius habita fuerit in Eccleſia Iudaica; tum ut per omnia excommunicatio ſit ſimilis poteſtatis actus in utraque Eccleſia Iudaica & Chriſtiana, & excommunicationis ſententia in Eccleſia Chriſtiana congruat naturâ, jure & poteſtate illi excommunicationi quæ in uſu erat inter Iudæos ſub Idololatris & ethnicis principibus: at poteſtas illa excommunicandi in Eccleſia Chriſtiana ſub magiſtratu Chriſtiano & orthodoxo

doxo reſpondeat poteſtati excommunicandi habitæ à fidelibus Iudæis ſub principibus gentilibus & orthodoxis: Cum autem probaverimus liberâ republica Iudæorum & ſub bonis principibus, nullum fuiſſe excommunicationis uſum, nullumque actum poteſtatis tum exercitum fuiſſe à quocunq; cœtu hominum adeoque ſacerdotum, qui non eſſet actus ſummæ poteſtatis & eorum qui præerant cum ſummo imperio omni ordini; plane debet paria facere natura poteſtatis Eccleſiaſticæ ab Eccleſiis ſub Chriſtianis & orthodoxis principibus habitæ, nempe ut, quemadmodum apud Iudæos, ſic apud Chriſtianos diſciplina, Iura & poteſtas paſtorum & Eccleſiarum in foro externo concedant in leges & poteſtatem magiſtratus: viciſſim cum poteſtas excommunicandi inter Iudæos ſub Idololatris principibus eſſet aſſumpta per confœderatam diſciplinam non quaſi tradita eſſet à Deo per Moſem, eodem planè modo cenſendum ſit de excommuni-

catione habita à Christianis sub ethnicis principibus, ut si quem sustulerunt & expulerunt à suo cœtu, is non fuerit actus potestatis traditæ à Christo pastoribus & Ecclesiæ, sed assumptæ per confœderatam disciplinam: quæ quidem disciplina cum cœperit à primo Ecclesiæ Christianæ ortu, adeoque tempore Pauli, non potuit ille actus expellendi incestum denotatum verbis *tollite*, &c. aliud esse quam actus potestatis assumptæ necessitate locorum & temporum per confœderatam disciplinam.

9. Sed, ut nihil præsidii relinquam in verbis *tollite*, &c. supponamus illis S. Paulum agnovisse in pastoribus & Ecclesia potestatem Ecclesiasticam judiciariam excommunicandi, eamq; non ad tempus duntaxat sed perpetuam, seu Christiani viverent sub ethnicis, seu sub Christianis & orthodoxis principibus, non inde sequitur potestatem illam non confluxisse in jura & potestatem magistratus: quod patet exemplo

exemplo poteſtatis paternæ & maritalis, quam nemo non tribuet jure divino parentibus & maritis, ut pater habeat imperium in filium, eum coerceat & in arctum compellat, quin ſi contumax ſit, domo expellat, in ſpem ut mores emendet & ad patrem, immo ad ſe redeat; at eam poteſtatem nemo non ſubjicit poteſtati magiſtratus, ut modum imperii in liberos ſtatuant non ipſi parentes, ſed ſumma poteſtas, ut etiam illius actus quo parens expellit domo filium rationem jure poſſit exigere magiſtratus & inquirere, jure an injuria præſtitus fuerit; par ratio actus in verbis *tollite*, &c. quem certè non ambigendum non obnoxium fuiſſe Iudicio & Imperio ſeu Pauli ſeu magiſtratus, ſi ad curam ſuam pertinere cognoviſſet curam Eccleſiarum.

10. Non leve eſt quod Calvinus in Comment. ad locum non velit per τὸν πονηρὸν intelligi inceſtum ſed diabolum & ſcelerum principem, qualem nemo ſtatuerit eſſe obnoxium excom-

munications pastorum: qua mquã non repugnet quin verba *tollite*, &c. de novercæ mæcho intelligantur; arridet tamen ipsi magis prior expositio.

11. Mirè sibi plaudit vir doctus inculcando actum expellendi incestum ab alia jurisdictione non manasse quam Ecclesiastica, quandoquidē Corinthii Christiani nulla jurisdictione civili aut politica gauderent: at Paræneſi cap. 2. & passim alibi docemus eam distinctionem jurisdictionis & potestatis cusam à romanensibus, qui in ædificando imperium in imperio, jurisdictionem in jurisdictione exemplo toti orbi præiverunt. Sane fidelium Corinthiorum quando clam magistratu in cœtum coibant ad cultum Divinum, non fuit magis Ecclesiastica quam politica aut civilis jurisdictio. Etenim ubi magistratus non attendit ad omnes cœtus, sectas, familias, sodalitia & collegia tota sua ditione, nec novit quibus legibus singuli illi conventus hominum regantur, cum jurisdictionem habeant non delegatam

delegatam ſed aſſumptam, exprimit unuſquiſque imaginem reipublicæ in brevi quaſi tabella, eadem arcana adhibendo, eaſdemque artes in ordinatione familiæ aut ſcholæ, quas afferrent in gubernatione totius gentis: ſic Cato lites ſerebat inter ſervos, ne in eadem voluntate conſpirantes aliquid gravius in eum machinarentur; & Dionyſius iiſdem artibus Scholam Corinthi regebat, quibus regnum Siracuſis: pari poteſtate, juriſdictione & prudentia Eccleſiæ ſub ethnicis principibus proprias res ſatagebant, omnia per ordinem ut jubet S. Paulus & juxta normam naturalis juſtitiæ peragentes, ut earum juriſdictio poſſet dici Eccleſiaſtica quatenus ad bonum Eccleſiæ comparata & à viris munus in Eccleſia ſuſtinentibus habita, ſed pari catachreſi qua juriſdictionem medicorum in collegium aggregatorum dixeris medicam quia à medicis adminiſtratur, & in commodum collegii ſociorum qui medici ſunt cedit: at eandem juriſdictionem aſ-

ſumptam

ſumptam à quocunque cœtu puta Chriſtianorum, philoſophorum & fabrorum perinde eſt ſi vocaveris politicam aut civilem, quatenus nulla ſocietas ſine fide civis aut politeia conſulis regi queat. verum rarò philoſophorũ ſodalitia aut fabrorum aut medicorum collegia ſuam juriſdictionem jactant. ſic Eccleſiarum rectores nolunt ſuam poteſtatem niſi impropriè & ἀκυρολόγως juriſdictionem vocari, ut jam leges perperam dictæ Eccleſiaſticæ & ſchema diſciplinæ quod nullibi reperitur in Scriptura, tum Senatus nominetenus dictus Senatus, iſque Eccleſiaſticus probe in poteſtatem & juriſdictionem improprie dictam quadrent. Sed exemplum Synogogarum Iudaicarum ſub magiſtratu ethnico quæ paria faciunt cum Eccleſiis Chriſtianis ſub principibus perinde ethnicis, edocent quæ fuerit natura juriſdictionis aſſumptæ à cœtibus illis, magiſtratu, aut indulgente aut non inſpectante, ſæpius vetante & ſæviente: etenim certum eſt ſynagogarum

rum juriſdictionem quæ fuit derivata à magiſtratu libera republicâ, demum aſſumptam per diſciplinam confœderatam ſub magiſtratu ethnico; at juriſdictionem aſſumptam per confœderatam diſciplinam à Chriſtianis cœtibus, poſtmodum cum Chriſtianus factus eſt in ejus jura & poteſtatem conceſſiſſe. Porro quemadmodum aſſumpta juriſdictio à ſynagogis ſub magiſtratu ethnico non fuit magis Eccleſiaſtica quam politica, ſic cenſendum nec aliam juriſdictionem habitam à Chriſtianis cœtibus ſub ethnicis principibus: quanquam plus juriſdictionis ſemper ~~plus~~ fuerit aſſumptum à Synagogis quam ab Eccleſiis, ut illis, dempto judicio rerum capitalium, jus eſſet prehenſionis, expulſionis & levioris multæ: ſed ut plus & minus non variant ſpeciem, omnino reputandum harum & illarum juriſdictionem Eccleſiaſticam & politicam juxta fuiſſe.

12. Sed quanquam concederem traditionem Satanæ intelligendam eſſe de

de excommunicatione, tum Corinthios decernente S. Paulo excommunicasse incestum, non sequitur idem præstare in cujusquam pastoris aut Ecclesiæ potestate esse, nisi Apostolo altero jubente & præsentiâ sui spiritus vim excommunicandi conferente. sic non si Hierosolymitanus consessus assistentibus corpore & spiritu Apostolis canonem tulerunt de non edendo sanguine & suffocato, cui parere tenerentur omnes seu Ecclesiæ seu privati, inde conficitur idem jus & eandem potestatem habere nunc synodum nationalem, de ejusmodi spiritu Apostolici, adeoque infallibilis planè incertam: quin contra sequitur ad solos pertinere excommunicare qui non tantum habent Spiritum sanctum, sed & ἀναμάρτητον.

13. Inde liquet si in verbis *tollite*, &c. denotatur potestas excommunicandi, tum clavium & ligandi ac solvendi, eam potestatem ad solas personas Apostolorum, non utique ad cæteros pastores

ſtores pertinuiſſe : cum enim nec hi ſemper certi ſint ſe donatos Spiritu ſancto , nec alii quos excommunicatio non attingit poſſint quenquam pro excommunicato ante reputare quam certo ipſis conſiſterit excommunicantem duci Spiritu ſancto : quod cum ignorent , eſt quod in æternum dubitetur habendus ne is pro excommunicato quem paſtores è cœtu ſuo pepulerunt. at cum nemo fidelis dubitaverit Apoſtolos actos Spiritu infallibili, ipſique Apoſtoli tantundem de ſe credidérint , patet ſi actus tollendi inceſtum fuit excommunicationis actus, à ſolis Apoſtolis manaſſe , ut cum ſoli potuerint condere in ſynodo Hieroſolymitano canones obligantes Chriſtianos ad obſequium , de quorum veritate & æquitate nefas eſſet dubitare , ſic ex æquo cenſendum à ſolis Apoſtolis cenſuram judiciariâ poteſtate prodiiſſe, & ab omnibus Chriſtianis pro cenſura Divina agnoſci debuiſſe : & revera cum poteſtas clavium , tum ſolvendi

&

& ligandi alligata sit verbo non perso-
næ pastorum à tempore Apostolorum
verbum annunciantium, non ambi-
gendum est affixam fuisse tum personis
Apostolorum tum verbo Apostolico:
cum enim cæteri pastores neminem
solvant aut ligent ex destinato, nec
quem solvunt aut ligant compertum
habeant, immo nec quem maxime cu-
perent solutum solvere possint; Apo-
stoli contra certa judicandi certitudine
pollentes cui salutem impense vellent
is solveretur compedibus peccati &
salutem consequeretur, ut ad eos om-
nis solvendi modus pertinuerit, &
quicquid volentes & scientes solve-
bant in terris id ratum & solutum fue-
rit in cœlis: at reliqui pastores solvunt
ad instar agricolæ, qui sic terram vo-
mere versat, occat & semen projicit ut
ignoret quo successu seminis quodque
granum à gremio excipiatur. quo-
circa cum actus pellendi per excom-
municationem sit scientis & pruden-
tis, ac ex destinato ferientis, non potest
esse

esse effectus potestatis, seu clavium seu ligandi & solvendi.

In exponendis verbis, *Dic Ecclesiæ* Matt. 18. dicit, *temet in inextricabiles laqueos conjicis interpretando vocabulum Ecclesiæ per conventum politicum Iudæorum, cui tamen ut proxime subnectitur datur potestas ligandi & solvendi, quam tu ipse intelligis de ministerio, sic sese error destruit & involvit. & revera non aliter te expedis quam statuendo versum.* 18. *non connecti cum.* 17. *sed aliam materiam tractare.* Nihil magis arguit veritatem à partibus meis stare quam quia Vir doctus nihil horum quæ scribo aut sentio referat. Vocabulum *Ecclesiæ* cum varii varie explicent, dixi inter omnes expositiones pessimam illam esse quæ intelligit Ecclesiæ pastores, cujus vocis probavimus nec in Veteri nec in Novo Testamento similem expositionem reperiri: Dixi etiam sive Dominus de cœtu Christianorum, sive Iudæorum locutus fuerit, intellexisse de politico & analogo

logo ad ſynedrium Iudæorum, in quo ſeniores (ut ait Calvinus ad Matt. 18.) poteſtatem excommunicandi (ſiquidem excommunicarent) habebant; ſaltem poteſtate erant præditi, nec tantummodo aut politicâ aut Eccleſiaſticâ, ſed unâ: ibidem enim dicit Calvinus ſeniores populi perſonam geſſiſſe totius Eccleſiæ, adeoque totius reipublicæ; quandoquidem judices qui præerant Eccleſiæ non alii eſſent ab illis qui rempublicam moderabantur: Unde conficitur, ſi quæ excommunicationis mentio eſſet hoc contentu eam non fuiſſe actum poteſtatis paſtoralis aut Eccleſiaſticæ, ſed judicum & ſeniorum qui præſunt humano ordini; ac proinde in republicâ in quâ paſtoribus probe convenit in religione cum magiſtratu, actum tollendi à cœtu aut ab Euchariſtiæ participatione ſubordinatum eſſe poteſtati uni & externæ ſeu ſenioribus ſeu judicibus populi in republicâ Iudæorum, ad quorum conſuetudinem Calvinus dicit Dominum alludere & referre.

Sed

Sed an laqueis expeditius se extricabunt qui per Ecclesiam intelligunt consistorium aut cœtum pastorum, neque enim parallelum locum in toto instrumento veteri aut novo reperient, in quo vox *Ecclesia* sumitur pro cœtu pastorum jurisdictione & potestate prædito excommunicandi & arcendi à sacris: nec ullâ conjecturâ excolpi potest hoc loco Matthæi Ecclesiam statui ferre aut tulisse sententiam in partem lædentem: quia contra liquet mentem fuisse Christi loqui de Ecclesia quæ nullâ censurâ corripiebat partem lædentem: nam apud eos qui volunt Ecclesiam excommunicasse partem lædentem, si quis intellectus verborum *si Ecclesiam noluerit audire*, hic debet esse, *si noluerit parere sententiæ excommunicatoriæ in se latæ*. quæ expositio laqueis longè inextricabilioribus implicat qui eam arripiunt, nam docet Ecclesiam illam nulla authoritate judiciaria sententiam tulisse in partem lædentem, cum & liberum esset eam audire vel non audire: supponitur autem

omnem cœtum judiciaria poteſtate pollentem, ſuam ſententiam vel exequi vel ſic executioni mandare ut reus ei obſequi non poſſit defugere: ſupponitur etiam per ſententiam latam in partem lædentem, parti læſæ fieri ſatis, juſque ipſius ſic aſſertum eſſe ut ſtare debeat Eccleſiæ judicio tanquam decretorio nec ulterius jus ſuum perſequi: atqui plane contrarium dicitur parti læſæ, nempe *ſi pars quæ te læſit nolit audire Eccleſiam, alia viâ aggrederere eam*: quæ quidem docent. 1. Eccleſiam nullam tuliſſe ſententiâ judiciaria poteſtate in partem lædentem, ſed tantum conſulentis & admonentis partes ſuſtinuiſſe. 2. aut ſi tulit, vocabula *ethnici & publicani* non intelligenda de excommunicatis: nam quam inficeta illa eſſet expoſitio, *ſi pars lædens non vult audire Eccleſiam à qua fuit excommunicata, tum habe eam & reputa pro excommunicato*; quis enim dubitat excommunicatum pro excommunicato habendum. 3. ſed an verba *ſi noluerit*

rit audire Ecclesiam intelligenda sunt si noluerit parere sententiæ excommunicatoriæ? at ipsi statuunt modum excommunicationis non sumi à voluntate excommunicati, & perinde esse ad validitatem excommunicationis utrum reus in eam consenserit.

Hic est labyrinthus absurditatum in quas se conjiciunt qui volunt *Ecclesiæ* nomine intelligi cœtum pastorum, eamque Ecclesiam sententiam excommunicationis in partem lædentem tulisse, tum arma suppeditant pontificiis quibus consultius fuisset ad eversionem hierarchiæ Papalis urgere incommoda præsidiorum quæ in hoc contextu Matthæi reposuerunt: planè enim imbibi tam cogentibus rationibus ex eo probari purgatorium aut indulgentias, quam potestatem pastorum excommunicandi, exauthorandi & leges ferendi in Ecclesia, atque hancce potestatem Ecclesiasticam non validius firmari hisce locis *dic Ecclesiæ & quæcunque ligaveritis*, &c. quam potesta-

tem Papalem, tum excommunicandi & deturbandi Reges solio, tum extrahendi animas ex purgatorio. sic cum cap. 16. Dominus compellet Petrum & super ejus personam ut vult Camero, ædificet Ecclesiam suam, eique tradat claves regni cœlorum & committat potestatem ligandi & solvendi, si fatentibus Presbyterianis & Pontificiis ea potestas est externa & judiciaria non video quod magis is locus militet pro potestate Ecclesiastica presbyteriana quam pro Papali, cum potius verba Christi sonent de potestate maximè judiciali & infallibili, qualem Pontificii sibi vendicant, ut si is locus intelligendus est de potestate externa Ecclesiastica, omnino magis faveat modo potestatis à Papa habito, quam modulo à presbyterianis pastoribus retento.

Quod vellicat me dixisse potestatem ligandi & solvendi de solo ministerio intelligendam esse, id non simpliciter affirmavi, sed eam potestatem se potis-

simum

ſimum exercere per miniſterium & poteſtatem verbi; nam certum eſt privatum quenque ex officio (non munere) ligare & ſolvere. ſecundum quod Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Bucerus & Gualterus, poteſtatē ligandi, &c. Matth. 18. v. 18. tribuunt non Eccleſiæ ſed parti læſæ. Imprimis diſertus eſt Theophylactus, *non ſolum quæ ſolvunt ſacerdotes ſunt ſoluta, ſed quæcunque & nos injuria affecti vel ligamus vel ſolvimus & ipſa erunt ligata vel ſoluta.* Sanè pars læſa ligat ſynodum à qua injuſte eſt excommunicata, dum precibus queritur de injuſta ſententia & gemitus effundit in ſinum Dei, ut jam mihi perinde ſit ſive verſu 18. Dominus ad aliam materiam, ſive non tranſeat; nam ſi non tranſit probe verba *ſit tibi*, &c. verſu 17. congruunt ſequentibus verſu 18. *quæcunque*, &c. ut Deus partem læſam exaudiat.

Alius vir reverendus in Gallia, literis ad me conqueritur me ſubjicere magi-

ſtratui quæ non tantum non pertinent ad ejus curam, ſed quæ ſatagere nequit propter molem negotiorum quæ animum ſatis ſuperque diſtinent & avocant. verba ſunt, *Non eſt credendum magiſtratum inquirere in omnes ebrios mœchos, pulſantes aut ſtrientes uxores, artifices ſerendæ invidiæ, occulte inimicitias alentes & ſubvertentes rem aut famam proximi; parique moderatione & curâ qu. conſiſtoriis ſolenne eſt, poſſe lites quaſcunque componere & de omni jurgio & privato ſcandalo obortis inter fratres & in familiis cognoſcere, eiſque imponere neceſſitatem vitam exigendi ad normam verbi Dei. Hoc, in quam, ſibi fingere ut magiſtratus id laboris ſuma, aut ſi hunc laborem in ſe recipiat id onere diu ſuſtinere poſſe, eſt impoſſibilia ſibi animo figurare, hoc eſt Ideas Platonis & loqui de gubernatione Eccleſiarum medicorum modo, qui tam decipi poſſunt cum de regimine animorum diſſerunt quam ipſe aberrarem ſi de regimine corporum tractarem.* Hæc ſpecioſe dicuntur ſed intro-

introſpecta mere feſtucæ ſunt ſupportando ædificio poteſtatis Eccleſiaſticæ independentis à magiſtratu, adhibita: nos jam huic objectioni occurrimus cap. 24. p. 647. &c.

1. Dixi ubi magiſtratus non attendit ad res Eccleſiæ aut quia non curat aut odit, tum Eccleſiam recidere in conditionem liberi populi & per diſciplinam confœderatam magiſtratus vices ſupplere, adeoq; habere arbitrium quamlibet imponere legem, quam niſi cerebroſus & contumax ſubire non recuſet.

2. Confundit vir reverendus functiones perſonarum cum juriſdictione & imperio in functiones & perſonas: non ſuſtinet magiſtratus infinita munera & munia quib. defunguntur Theologi, viri conſulares, medici, opifices: at juriſdictio & imperium magiſtratus ſe diffundit in omnes omnium ordinum homines & provincias ut non medicus faciat medicinam, chirurgus ſecet ægrum, nauta naviget, mercator rem

ullibi locorum faciat immo ne cocus edulia paret, nisi aut imperante aut permittente summa potestate.

3. Non sequitur quæcunque Magistratus non satagit aut satagere non vult, nec sui otii aut negotii esse putat ut illis se admiscear, subducenda esse ejus jurisdictioni & imperio, nam sic vastæ ditionis domino nulla esset jurisdictio, nullumque imperium in myriades familiarum, societatum, sodalitiorum, collegiorum, Academiarum, quarum leges, disciplinas, negotia seorsim à singulis habitas licet suppositas jurisdictioni & imperio summæ potestatis, attamen tantum abest ut attrectet, ut vix eas pernebulam cognoscat: sic in ampla domo ubi magna familia servorum, multa ars & stricta disciplina adhibenda sunt ut Domino imperium, singulis obsequium constet; nec putandum licibus inter servos obortis, aut quibusdam sub ferocia Domini gementibus statim interpellandum magistratum: at inde non conficitur

tur Domini potestatem herilem, paternam & maritalem non esse subordinatam potestati & cognitioni magistratus; nam & licuit servo Pollionis, ad murenas damnato provocare ad Augustum: sic non dubium quin, etsi rarò magistratus se immiscat privatis negotiis consistoriorum, fas sit à sententia consistorii provocare ad eum.

4. Sed etsi magistratus nunquam se immiscereret libris, & negotiis privatarum seu Ecclesiarum seu societatum & familiarum; attamen censendum magistratus etiam somno sepulti aut alia agentis & curantis, jurisdictionem & imperium virtualiter in omnes ordines hominum & societatum se diffundere, ut partim reverentiâ, partim metu legum omnes in officio contineantur.

5. Iuris consulti dicunt de minimis non curare legem, nec de omnibus statuere, neque enim minutim attingit officia & munia à singulis præstanda in vita humana quatenus sunt Domini, patres,

patres, mariti, cives: quod cum ita sit, atque latius semper pateat officiorum quam juris regula, plane reputandum datam potestatem singulis privatis seu familiis & societatibus, seu Ecclesiis, in iis quæ præcise non definit lex suas res habendi. satis est, quod lex in genere jubeat pacem, fidem & justitiam inter omnes ordines coli: sic cum S. Paulus jubeat omnia ordinate peragi in Ecclesia, omnino in potestate Ecclesiæ præpositorum ponit particulatim statuere quibus legibus, quâ disciplinâ regi debeant. quocirca ut collegium medicorum aut fabrorum, aut societas mercatorum, sic etiam Christianorum seorsim in iis quæ lex non definit suam disciplinam habens; non potest dici potestate prædita diversi generis & independente à magistratu, ut non liceat nec magistratui in societatis Christianorum aut mercatorum res, leges, negotia & personas inquirere, nec cuiquam provocare à judiciis aut consistorii aut eorum qui præsunt cæteris societatibus.

6. Qui

6. Qui dicunt non posse magistratum puta Genevensem aut Tigurinum simul reipublicæ & Ecclesiæ invigilare, deberent Imperantibus statuere modum Imperii & negotiorum curandorum & limitum jurisdictionis quantum curationi satis sit: haud enim dubium quin summa potestas, longe lateque regnans plus habeat negotii, curando tantum (quod volunt) res reipublicæ, quam angusti limitis magistratus pariter Ecclesiæ & reipublicæ invigilando: quare si fides est rev. viro deberet ille magni dominii dominus abdicare se parte, non tantum molis negotiorum sed etiam dominii cui ne unus sufficit: Huic etiam si creditur non denegandum imperium ducentis viris Genevæ angusti territorii Dominis circa sacra & civilia, cum in vasti dominii Principem plus molis negotiorum recumbat unica reipublicæ curatione, quam in magistratum Genevensem duplici sua Ecclesiæ & reipublicæ administratione.

7. Sed

7. Sed nec verum est magistratui minus accrescere molis negotiorum si translatâ curâ rerum Ecclesiæ in pastores, ipse sola negotia reipublicæ tractet, qualem divisionem potestatum & curarum studuerunt fratres Scoti in patriam inferre: nam contra ex ea divisione potestatum & curationum plus negotii semper accessit magistratui. Potuit in alta pace & rebus ubique florentibus Augustus molem tanti imperii sustinere, curando pariter sacra & civilia: potuit regina Elizabetha, custodum Ecclesiæ tum reipublicæ & omnium causarum & personarum judex, rebus Ecclesiæ tum reipublicæ longe prosperrimis & ad votum bonorum virorum fluentibus: at non potuit Scotia gaudere pace nisi jugiter lacessita & interrupta propter perpetua jurgia & dissidia quæ aulam presbyteria & conventus Ecclesiasticos inter se commiserunt; nec potuit Calvini duplex jurisdictio Genevæ absque conflictu simul consistere. Id semper factum est

propter

propter affinitatem causarum & connexionem officiorum viri Christiani & civis, ut nec leges, nec curæ, nec potestates dividi possent absque maxima confusione & collisione partium. Sane si in eadem domo Pater jurisdictionem in filias committeret matri, ipse jurisdictionem in filios sibi retineret, impossibile esset ut tota domus non conturbaretur & perpetuis dissidiis non laboraret; nam litibus exortis inter fratres & sorores quis arbiter esset, paterne, an matet?

8. Nec argumentum à difficultate ad jus valet; nam sic rem suam alii tradere deberet facultatesque suas, quisquis illis est impar: non si Constantinus districtus aliis negotiis in causa Donatistarum quosdam episcopos delegat qui de causa cognoscant, sequitur ad Constantinum non pertinere de dogmate Donatistarum judicare. non si summus Magistratus Angliæ mandat septem ministris Anglis ut cognoscant & ad suum judicium referant utrum

collo

colloquii conſeſſus quo ſententia depoſitionis in Delmeum lata confirmata fuit, fuerit rite convocatus & ſecundum leges diſciplinæ, ſequitur non pertinere ad magiſtratum Angliæ cognoſcere de Delmei negotio; nam ſic nec magiſtratus haberet jus cognoſcendi cauſas privatorum quia publicæ curæ eum diſtringunt, ut de eis non niſi per adminiſtros poſſit judicare.

9. Sed non, ſi impar eſt magiſtratus adminiſtrandis per ſe rebus ſimul Eccleſiæ & reipublicæ, ſequitur æquo jure privandum in gubernatione Eccleſiæ quo gaudet in adminiſtratione reipublicæ, ut hanc & illam juxta non regat per adminiſtros & delegatos.

10. Non illa Idæa eſt Platonis ut leges, diſciplina, & ſententiæ conſiſtoriorum ſuam vim & authoritatem derivent à magiſtratu, immo conſiſtoriorum ſententiæ ſint ipſæ magiſtratus leges: nam id ipſum uſurpari in Tiguriis Eccleſiis ajt Gualterus Homil. in

1 Cor.

1 Cor. 5. *Noſtræ civitatis leges excommunicatione puniunt eos qui in audiendis concionibus & cœnæ dominicæ uſu negligentiores inſuper vitâ ſceleratâ Eccleſiam offendunt, tales enim ſi in urbe vivant ex tribuum ſocietate ejiciuntur ut commercia cum nemine habere poſſint*, &c. paulo poſt *faciant aliæ urbes & gentes quod è re ſui populi eſſe putarint: quando conſtat eandem diſciplinæ formam ubique locorum conſtitui & obſervari non poſſe: immo ne illis quidem ſuam felicitatem invidemus qui ſua illa excommunicatione vel excluſione potius à cœna cum aliquo fructu uti poſſunt.* nempe Idæâ non eſt Platonis cujus ſpecimen nobis dederunt Tigurini ut magiſtratus pariter invigilet Eccleſiæ ac reipublicæ, immo hanc ab illa non diſtinguat & lex de excommunicatione non minus ſit lex magiſtratus ac lex de teſtamentis, tutoribus, &c.

Cæterum cum viro reverendo deſint argumenta quibus ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam aſtruat, me diſtinet

ut solent romanenses, qui consciti infir-
mitatis causæ, rogant reformatos qua
authoritate impugnent errores Eccle-
siæ Romanæ; ille enim ut Beza Era-
stum, Synodus Rupellensis medicum
Burdegalensem, sic me ad medicinam
amandat, cum tamen non nescius sit
alia semper studia placuisse & nunc at-
tinere, nec unquam in re medica quic-
quam commentatum fuisse: mirum nisi
de fide Vignerii, historicorum qui un-
quam fuerunt, teste summo viro Usse-
rio, veracissimi & diligentissimi non
decedat quia medicus fuit; ni Bootius
sit impar certamini adversus Ludovi-
cum Capellum, aut Cornelius Agrippa
& Gabriel Naudeus in omni re litera-
ria minus præstantes fuerint, quia me-
dici: aut mirum ni Blondellus quia
Theologus & concionator imbel-
lioribus armis adortus fuerit in argu-
mento plane à Theologia alieno Cis-
fletium, aut minori curâ & ingenio de
jure successionis in regno Neapolita-
no scripserit & stemmata indagaverit.

si

si creditur viro reverendo, minor fides adhibenda Ioh. Gerardo Vossio in Theologia scribenti, isque relegandus erit ad scholam puerilem & lucubrationes de grammatica; cum tamen ambigant omnes docti, doctiorne Theologus vir ille, summus an Grammaticus fuerit: ut jam, nec Salmasius minus sit omnis disciplinæ, literaturæ & antiquitatis promus condus quia ab Henrico Hamondo vocatur Grammaticus, nec Hamond minus sit eruditione & virtute præstans, eo quod à Salmasio ad vindictam appelletur nebulo. Minor etiam (si fides adhibenda viro reverendo) laus aut eloquentiæ in concionando ad populum, aut ingenii & virium in palæstra adversus romanenses debebitur Samueli Bocharto, damnandusque erit ob prolixum & eruditum ejus opus quo Veroni Iesuitæ improba retudit acumina; eo quod alio opere de Geographia sacra, plane totâ vitâ aliis studiis deditus & innutritus esse videatur.

Sed cum teste S. Scriptura alia sint dona laborandi in doctrina, alia gubernandi, non est credendum laborantes in doctrina magis industrios esse in gubernatione Ecclesiæ; cum contra ab omni antiquitate, ut ait Ambrosius, Ecclesiæ seniores habuerit, quibus regimen Ecclesiæ potissimum commissum fuit, dum ministri in oratione & verbo desudabant, eosque selectos de populo, non propter eruditionem in rebus Theologicis, sed quia prudentiâ politicâ conspicui & rerum usu ditiores erant. Hosce non dubium est peritius scribere potuisse de natura obedientiæ, juris & imperii circa sacra quam ministri toti ad populum fidem & pietatem concionando intenti. quid? quod benignior is semper sit sui & rei judex unde honor, potestas aut aliquod commodum accedit; non dubium quin Æneas Silvius defœcatiori judicio senserit concilium esse supra Papam quam Pius II. cum concilium Papæ subjecit.

De excommunicatione hæc habet idem vir reverendus, *dicit veteres abusos excommunicatione tanquam instrumento ad prædandum & ab ea cepisse mysterium iniquitatis. At nempe rerum omnium, etiam meliorum, immo gratiæ Divinæ datur abusus, inde sequitur usum rerum abolendum esse.* Sic loquuntur romanenses cum obijcimus eis horrendam mundinationem indulgentiarum: dicunt abusum illum fuisse, nec propterea improbandas esse indulgentias: sed non potest esse usus restrictus & moderatus rerum quarum nulla est mentio in scriptura, quales sunt indulgentiæ Papales & potestas excommunicandi.

Vir etiam apprime reverendus, & cui nomen edere vereor; is est Cæsar Calandrini pastor Ecclesiæ Londinopolgicæ amicissimis literis, exemplo eorum plectendi ultimo supplicio qui rationem reddere tenetur tum magistratui, tum pastoribus & Ecclesiæ, conficiebat necessitatem statuendi in

hac vita humana duplex forum, duplicem jurisdictionem, duplex tribunal, namque ajebat reum in foro magistratus, debendi etiam reum esse in foro Ecclesiæ, ut etsi propediem magistratui facturus sit satis, vel in ære vel in cute, debitum persolvendo, attamen non sit exemptus judicio pastorum & fori Ecclesiastici in quo per agnitionem peccatorum debet Ecclesiæ & fratri reconciliari. Sed nondum à me impetro ut credam id exempli quicquam virium habere ad astruendum duplicem jurisdictionem & duplex forum, nisi de jurisdictione verbi intellectus sit in peccatorem, in quo foro ad pastoris minas & commonefactiones cohorrescens & agnoscens se peccati & gehennæ reum, totus ad Dei misericordiam confugit: pastor verò conspectis pœnitentiæ signis annunciat respiscenti peccatorum remissionem. Coram eo tribunali fateor reum in foro magistratus sistere se debere sive condemnetur sive absolvatur ab eo, sive li-

recon-

reconciliari Deo, tum redire in gratiam cum Ecclesia & redimere pacem conscientiæ. sed si non pœnituerit, pastor nullam in eo foro fert sententiam in reum, nil cum ipse suimet judex & tortor est & seipsum exitio adjudicat; indignum quidem pastor pronunciat eum quo versentur viri pii & communionem colant; sed perstat hortari tum reum ut ad Deum redeat ne sibi æternam damnationem accersat, tum populum Christianum, ut sic ejus consortium fugiat quandiu vita superstat ut tamen Deum pro ejus conversione precetur. non si tenetur reus ante obitum reconciliari fratri, tum collegio aut societati forsan mercatorum, publicanorum aut fabrorum rationes reddere pecuniarū creditarum, sequitur fratris in reum aliquam esse jurisdictionē, aut tot esse fora & tribunalia diversa & coordinata in una rep. quot sunt collegia aut societates, easque non esse subordinatas tribunalibus civilibus: sed nec par est obligatio rei ut ex

æquo obtemperet pastori & judici, huic enim velit nolit obligatur, quandoquidem modus obligationis non sit in voluntate rei sed judicis: at reus non tenetur pastori rationem reddere nisi se obligatum esse noverit & persuasus fuerit. cum enim regnum Christi sit ultro & sponte se inferentium, pastores nihil habent juris in quenquam, cum citando & comparere jubendo, nisi ipse sibi hanc imponat legem ut compareat, accuset & expurget se.

Dum prælum fervet, dandus est aliquis locus vindiciis, tum mei, tum quotquot sunt in Anglia Ecclesiarum exterarum quarum deputati viri reverendi pastores & seniores in cœtus, colloquia & consistoria coacti multiplici judicio damnarunt Eliam Delmeum. Testor Deum me sine ira & studio nudam narrationem de Delmeo instituisse, cujus causas semper procul habui, à quo non facto nec verbo prius læsus fueram quam aggrederer breviarium litis Delmeanæ evulgare, neque

unquam

unquam memet controverſiæ admiſcuiſſe, ſed otioſum ſingulos ejus actus ſpectaſſe, ut, ſi conſcientia mihi fidem facit à me in narratione de Delmeo Paran. cap. 23. abfuiſſe invidiam: ab ignorantia recti & mala fide me liberaturi ſint omnium exterarum Eccleſiarum miniſtri in Anglia; imprimis Gallicæ, Belgicæ & Italicæ quæ Londini ſunt, qui omnes ſunt viri reverendi & fide digniſſimi, qpique judicio de Delmeo interfuerunt; in quibus ſunt Calandrinus, Ciſenerus, & Stuppanus: nec omittendus Pererius apud Hamptonenſes verbi Dei miniſter vigilantiſſimus. at licet tot teſtibus & conſcientiâ veri & recti munitum, paulo poſt editam Paræneſim adortus eſt Delmeus in Cambii ambulacro, ubi poſtquam aliquot ſarcaſmis proluſiſſet, me elogiis mendacis, calumniatoris & & falſarii ornavit; ad quæ convitia cum nullius culpæ mihi conſcius eſſem, tum exiſtimarem virum larvas & atram bilem ſtimulare. parumque ſui

compotem esse, nihil reposui nisi me parcere ordini & remittere aliquid stomacho sed impranso. verùm in hostimentum lubet pari fide & candore historiam Delmei persequi & resumere ubi substiteram.

Victus ergo Protector importunis sollicitationibus Delmei indulsit ut à colloquio ex deputatis Ecclesiarum Gallicanarum causa Delmei decretoriè judicaretur: in quo quidem licet consistorium Ecclesiæ Gallicæ Londinensis vereretur ut Delmei artes prævalerent; contra tamen accidit: convocato colloquio ad 22. Augusti anno 1656. ex idoneo deputatorum numero, utrinque datâ fide ut staretur judicio colloquii, statim Delmei factio causæ propriæ diffisa contumeliosè insectata est plures de colloquii conventu & palam testata est se declinare eorum judicium, neq; decretis ab eis stare consiliũ esse. perseveravit tamen conventus accuratum examen controversiæ habere & approbatâ sententia suspensio-

nis

nis in Delmeum latâ, proposuit conditiones, quibus cum honore reconciliaretur consistorio suo à quo officii exercitio submotus fuerat, quas nisi intra 6. septimanas acciperet, judicavit non conducere ad pacem Ecclesiæ ut Delmeus ministerio suo fungeretur in Ecclesia Gallica Londinensi. conditiones juxta æquæ & pene eædem erant quæ injunctæ priori judicio, nempe. 1. ut fateretur se contra officium & modestiam quæ pastorem Evangelicum decet nonnullos de colloquii conventu offendisse. 2. ut negotia consistorii in vulgus non efferret. 3. rediret in gratiam cum symmystis (quos graviter offenderat) per solam agnitionem culpæ. 4. ne pro suggestu inveheretur in symmystarum doctrinam nisi illis præmonitis. sed Delmeus obfirmans animum id tantum premere aut promere quod premendum aut promendum ipse pro sua sapientia apud se constitueret, hasce repudiavit conditiones. de cætero ab omnis deli-

cti

ti confessione abhorrens & pro se allegans, à quo omnis culpa abfuit, abesse etiam debere peccatorum agnitionem & factorum poenitentiam: se non usq; adeo vecordem, cum inter concionandum eo quo spiritus ducit feratur, ut velit aut possit comprimere se & reprimere, aut extinguere divinum illum ignem & flatum sine discrimine & nullius consistorii aut hominis prius expectatâ licentiâ, hunc & illum juxta figentem, & tam homines quam vitia insectantem, cui obsistere non possimus aut debeamus, ne gravibus commonefactionibus dilatis propter humanas considerationes & rationes totius concionis ardor tepesceret & refrigesceret, interim quæ maxime ad populum dicenda sunt non revertorentur: cæterum neque sibi decretum celare quæ vocant consistorii secretanam si, inquit, boni illi viri de coetu & in coetu aliquid gravius in rempublicam machinarentur, an non esset capitalis illa silentii fides? Quocirca Del-

meana

meana factio tantum nõ perstat inficiari legitimum hoc fuisse colloquium, sed & queritur apud Protectorem de iniqua colloquii agendi ratione, & rogat iterum retractari causam ab aliis judicibus & ab eo delegari ministros Anglos qui de tota re cognoscerent; contra urgente consistorio per id accidi & decedere de suis privilegiis si ulterius fieret provocatio, jam causâ cecidisse Delmeum coram illis judicibus quos requisiverat. tandem cum non vacaret Protectori ut ipse de tota re cognosceret propter multiplices actus & prolixitatem chartarum querelis & elenchticis argumentis plenarum, dedit & flagitionibus importunis Delmeanæ factionis quibus prendebat amicos, supplicabat, ambibat domos, stationesq; circumibat ad permovendos authoritate in aula pollentes, ut penes aliquot ministros Anglos esset potestas ut examine facto omniũ referretur ad ipsum an colloquii conventus ad quem Delmeus provocaverat & à quo damnatus

fuerat

fucatè ritè & secundum leges disciplinæ exterarum Ecclesiarum Gallicanarum coiuisset. Atq; hæc cognitio nunc ab eis pendet, inter hæc nihil non movente factione Delmeana ut viri illi a Protectore delegati de ipsa arce causa velint judicare & pronunciare, consistorio contra iniquum judicante ut hic delegatorum conventus limites suos transiliat. quicquid futurum est, inter judicii moras nihil intentatum relinquit Delmeana factio quo causa sua dominis delegatis probetur, passim traducens consistoria Gallica & Belgica ut conventicula partim reprobo-rum, infidelium & malignantium, partim virorum qui aut pietatis vim ejurarunt, aut fucatam nec alte & radicitus infixam retinent: Ipse verò Delmeus operam subinde vicariam Dominis delegatis in concionandi munere commodans quo faventiores habeat. sed proculdubio his artibus à verò & æquo non abducentur viri reverendi, nam si aut excæcarentur aut præjudiciis

darent

darent locum, & mollirent Delmei culpam, ac de paſtoribus & ſenioribus qui uno ore Delmeum damnarunt non ſentirent ut de piis & probis viris, ſed Delmeo reditum ad Eccleſiam procurarent, conſiſtorio reluctante, aut Delmeo ipſo nullam fidem faciente pœnitentiæ, nec ſe deinceps ſubjiciente diſciplinæ legibus, omnino cauſa eſſent longè gravioris diſſidii & majoribus malis affligerent Eccleſiam quam quæ eam hoſce 12. annos exercuerunt, funemque perpetuarum contentionum & altercationum ducerent: quin ipſam Eccleſiam quæ jam ſeculum duravit, & proteſtantibus dura ſub pontificiis patientibus perfugium fuit, diſtraherent & corrumperent; quod Deus avertat: nec id leve foret incommodum quod poteſtatem magiſtratus circa ſacra, etſi non everterent, attamen eliderent, utpote quæ ordinata eſt ad bonum & pacem Eccleſiæ, ut reſte factis à conſiſtoriis & ſynodis vim & robur addat; perperam verò abeis latas

fucatè rite & secundum leges disciplinæ exterarum Ecclesiarum Gallicanarum coivisset. Atq; hæc cognitio nunc ab eis pendet, inter hæc nihil non movente factione Delmeana ut viri illi a Protectore delegati de ipsa arce causa velint judicare & pronunciare; consistorio contra iniquum judicante ut hic delegatorum conventus limites suos transiliat. quicquid futurum est, inter judicii moras nihil intentatum relinquit Delmeana factio quo causa fu dominis delegatis probetur, passim traducens consistoria Gallica & Belgica ut conventicula partim reproborum, infidelium & malignantium, partim virorum qui aut pietatis vim ejurarunt, aut fucatam nec alte & radicitus infixam retinent: Ipse verò Delmeus operam subinde vicariam Dominis delegatis in concionandi munere commodans quo faventiores habeat. sed proculdubio his artibus à verò & æquo non abducentur viri reverendi, nam si aut excæcarentur aut præjudiciis

darent

darent locum, & mollirent Delmei culpam, ac de pastoribus & senioribus qui uno ore Delmeum damnarunt non sentirent ut de piis & probis viris, sed Delmeo reditum ad Ecclesiam procurarent, consistorio reluctante, aut Delmeo ipso nullam fidem faciente poenitentiæ, nec se deinceps subjiciente disciplinæ legibus, omnino causa essent longè gravioris dissidii & majoribus malis affligerent Ecclesiam quam quæ eam hosce 12. annos exercuerunt, funemque perpetuarum contentionum & altercationum ducerent: quin ipsam Ecclesiam quæ jam seculum duravit, & protestantibus dura sub pontificiis patientibus perfugium fuit, distraherent & corrumperent; quod Deus avertat: nec id leve foret incommodum quod potestatem magistratus circa sacra, etsi non everterent, attamen eliderent, utpote quæ ordinata est ad bonum & pacem Ecclesiæ, ut recte factis à consistoriis & synodis vim & robur addat; perperam verò abeis

latas

latas sententias rescindat & refigat: nam certum est cum error subrepat pastoribus & magistratibus jurta, alicubi tandem subsistendum esse, ut non ulterius valida sit suspensio Delmei quam quatenus à magistratu vel potestate vicaria aut analoga rata habetur. Cum autem in judicio de Delmei causa magistratus alienis oculis non suis videat, fidat non suo sed ministrorum à se delegatorum judicio, si quid perperam pronunciatum esset in negotio Delmei, id potius virorum Ecclesiasticorum quam magistratus error esset, qui cum tam possit cadere in hos quam illos, tam in conventum septem ministrorum à magistratu delegatorum, quam in consistoria, coetus & colloquia Ecclesiarum exterarum, non tantum excusandus magistratus foret, sed & de eo censendum esset non potuisse non rectius, defoecatius esse & minus praejudiciis abreptum judicium, si ipse de causa cognovisset, nam ubi de duobus coetibus pastorum ambigitur uter

rectius & sanius judicaverit, si hic magistratus se interponeret nullis in consilium vocatis pastoribus, puto quod affectibus minus indulgeret quam ubi minister ministri judex constituitur. verum si hic delegatorum conventus pro Delmeo judicat, non putat consistorium Londinense à quo Delmeus fuit submotus illud futurum decretorium judicium, sed pro sua æquitate magistratum concessurum ut saltem tot judicijs recognoscatur causa Delmei, quot damnatus fuit, ut unicum duntaxat judicium septem virorum, non præponderet multiplici judicio tum consistoriorum, cœtuum & colloquiorum, tum Pastorum de tribus gentibus Gallica, Belgica & Italica, à quibus censurâ in eum latâ dignus judicatus fuit.

Sed haud dubium delegati illi pastores à Magistratu, viri planè reverendi, vel se continebunt intra cancellos authoritatis delegatæ, ut tantummodo cognoscant, an colloquii conventus à

quo

quo Delmeus ultimo judicio fuit damnatus fuerit legitimè convocatus; vel, sin minus, perpensâ gravitate offensæ propter quam primo judicio submotus fuit ejus regressum in Ecclesiam non nisi sub ea conditione decernent ut aliqua ratione consistorio & symmystis faciat satis: qui quidem ut lenti sunt in suo dolore, libenter largiuntur suas injurias contenti formulâ in usu apud veteres *nolui factum, agnosco te esse indignum hac injuria*, aut saltem *id non factum est à me malo animo, nec ut inferrem contumeliam*. at hæcce ut proferret nequidem à se impetrare potuit, licet offensionibus longè penetrantibus & infamantibus læsisset, ut cum in consistorio alteri ex symmystis odixerit se nullas in eo regenerationis notas conspicere; alterum verò hæreseos postulaverit & variis criminibus oneraverit. sed judicii facio D. delegatorum an ea non fuerit offensa saltem agnitione culpæ expianda qua Symmystam Stuppanum reverendum & fidei integerri-

mæ virum, furti & sacrilegii non obscure insimulavit, malæque fidei in pecuniis collectæ in Ecclesia Gallica Londinensi in usum Protestantium in convallibus factæ, creditis, & ab eo ad presbyterium Genevense rescriptis. Hanc gratiam retulit Delmeus Stuppano pro navata opera afflictis & egenis, ad quos sublevandos plus in Anglia contulit Stuppanus, solicitando supremum Magistratum, eique statum miserorum indicando, tum hortando, permovendo, rationesq; collationum exigendarum suggerendo, quam qui maxime ad succurrendum Convallensibus promptissimi essent & authoritate plurimum valerent apud summum magistratum, sed quibus de eorum conditione nihil innotuerat nisi ex indicio Stuppani. Porro, quanquam Stuppanus cujus jam fama in solido & tuto locatæ essent, fidesque multis experimentis explorata, non multum permoveretur hisce criminationibus, placuit tamen testimonium requiri à

presbyterio Genevensi de fide Stuppani; cum enim prior argenti rescripti data fides per acceptillationem chirographo munitam non videretur satis validum testimonium Delmeo, isque illud repudiaret, utpote à junioribus nec satis notis sibi ministris subsignatum; tum diceret pares ætate in eadem avaritia sibi invicem adjutores esse, optime juniores juveni Stuppano congruere; presbyterium Genevense ut fides primo testimonio constaret, ampliori corroboravit, appositis gravissimorum & seniorum ministrorum signis, insuper adjuncta vehementi increpatione cum imprudentiæ, tum maximè impudentiæ Delmei, qui ausus esset in suspicionem male fidei & avaritiæ adducere symmystam, de quo dubitandi nullas causas haberet, tum levitatis & stultitiæ accusare totum consessum Genevensem, tum Magistratus, tum pastorum & seniorum, qui non perinde sapiens & cautus esset in deligendis pastoribus junioribus ac in senioribus

retinendis, ut his & illis par fides non esset adhibenda. Ioculare est quod non solum literæ presbyterii Genevensis ab ipso Delmeo lectæ sint in consistorio pro præsidis munere quo tum fungebatur, sed & cum grave ferret à se propriam condemnationem pronunciari, subjecerit, dubium acumine frigidiore an obtusiore, se eâ gratia non accusavisse Stupparum ut id in notitiam presbyterii Genevensis perferretur; pari acumine quo interrogatus à reviro Cæsare Calandrino in consistorio ex utraque Ecclesia conflato in templo Belgico, cur ter vocatus à cœtu delegatorum non comparuisset, rogatum quidem dixit, sed negavit unquam vocatum aut jussum comparere.

Verùm tametsi D. delegati secundum Delmeum pronunciarent, non existimat consistorium quicquam ex hoc judicio accedere Delmeo, aut libertati Ecclesiæ decedere ut necesse habeat stare eorum judicio: frustra enim à magistratu obtruderetur pastor

niſi & unà duplex honos paſtori habendus gregi imperaretur, quorum alter ſit obſequii, alter honorarii; cum hactenus ſpontaneus fuerit nec ulla lege exactus, quocirca omne judicium reputat irritum, niſi nova lege à magiſtratu imperetur ut hic honos Delmeo exhibeatur: quæ quidem lex abhorreret à ratione & recepto uſu: nunquam enim ſolet magiſtratus jubendo, ſed commendando dare Eccleſiæ paſtorem qui ex publico & publica lege non alitur, ſed ad arbitrium ſingulorum Eccleſiæ membrorum; quæ quidem tam citra coactionem aut legem liberales ſunt in paſtores ſuos & pauperes quam liberè in Eccleſiam coiverunt.

Cæterum quis ex ſuperioribus non videat Delmeum fratres Scotos non modo æquaſſe, ſed & ſuperaſſe in molimine ædificandi imperii in imperio. Cum enim hi unicum duntaxat imperium in imperio magiſtratus fundaverint, ille multiplicare imperia & tertium ædificare tentavit, hoc eſt impe-

rium

rium privatum in imperio presbyteriano : nam cum consistorium Gallicæ Ecclesiæ Londinensis partim per delegatam potestatem à magistratu, partim per confœderatam disciplinam habeat, ut æquum est, suas leges, suumque imperium, cui obtemperare debent omnes bom qui se ad eam Ecclesiam aggregarunt, Delmeus solus exlex, aut potius sibi lex voluit modum obsequii habere non in consistorii sed in sua voluntate, ut ipse αὐτοκράτωρ & arbiter esset eorum tum quæ in consistorio & extra consistorium ageret, tum quæ ad populum concionaretur.

Sed tempus est ut me expurgem de gravi hæresi cujus viri docti me arcessunt, quia dixi pag. 323. Eucharistiam non esse figuram Christi : nolim me liberare ab omni errore, qui etiam obrepit accuratam scriptionem lucubrantibus, ubi præsertim prolixior est. forsan non meum illud sed amanuensis erratum fuit : nunquam enim intellexi Eucharistiam non esse figu-

ram seu imaginem, simulacrum & effigiem exprimentem Dominum nostrum morientem pro nobis: sed procul dubio orationi *Eucharistia non est figura Christi* interponendæ duæ voces & sic legendum *Eucharistia non est figura aut typus Christi.* maxima enim pars capitis, ad eum potissimum locum insumpta est ut docerem Eucharistiam quidem esse imaginem expressam Iesu Christi; sed nihil in ea esse mysterii, nec quicquam typicum, figuratum & velatum; quo sensu intellexi vocabulum figuræ. Quod si alia subrepserint menda seu typographica seu mea velim corrigi ut mox subnectam. Interim æquus lector judicet, quam invalida sint arma, ac tenuia & pellucentia munimenta in me erecta, quam jejunæ calumniæ quibus hactenus urgeor & lacessor; quarum cum ἀφὶν ἀλαζονευόμενον spiculum avulserim sine ulla vulneris suspicione, non est quod mihi multum timeam ab insultibus succedentium, quanquam recta fronte con-

concurrant: nihil enim in hanc usque horam mihi imputatum est quod falsum non esset, aut detortum aut aliorsum acceptum atque ego dixi. Omnimo disciplinam in Ecclesia necessariam esse existimo, sed vel confœderatam facio & assumptam jure naturali & gentium, & per pactum mutuum ubi Ecclesiæ vivunt sub magistratu adverso, vel sentio delegatam à summo magistratu in eadem religione consentiente. cæterum non repugno quominus vi utriusque disciplinæ, exclusio à cœtu aut ab Eucharistia haud absimilis excommunicationi inter Iudæos sub regibus idololatris aut ethnicis si ita visum est, usurpetur. nam hanc potestatem collatam in pastores jure divino positivo & independente à magistratu constanter & usque negamus dum erroris arguamur. Porro Errata & omissa in Paræneſi hæc sunt.

Graviora & quæ sensum corrumpunt Pag. 76. l. 25. posthabere *lege* ante habere. pag. 145. l. 21. externo *lege*

interno. pag. 201. l. 28. *lege* verbi. pag. 315. l. 2. & 5. Irenæi *lege* Iustini Martyris. pag. 316. l. 24. expositionem *lege* expulsionem. pag. 374. l. 26 *lege* interno, lin. sequenti *lege* externo. pag. 481. l. 3. *lege* Ecclesiæ. pag. 483. l. 21. sufficiunt *lege* suspiciunt.

Leviora sunt hæcce Præf. lit. b. pag. 6. l. 11. & 12. *lege* fulgor Pontificalis, liturgia, lit. e. p. 2. l. 12. mediatoris lit. f. p. 4. l. 3. ut *lege* ne lit. f. p. 7. l. 24. credant, lit. g. p. 6. l. tribuerent. Paræn. p. 3. l. 25, 26. *lege* quâ, p. 4. l. 3. jaculabuntur *lege* jacientur, pag. 5. l. 25. strictiore, p. 10. 48, 49, 50. & 194. *tituli perperam ad summam oram ascripti*, p. 10. l. 14. pastor *lege* Deus, p. 14. l. 16. sequatur, pag. 30. l. 15. *lege* objecti quia versatur circa res Ecclesiæ, sed & ratione modi quia circa eas versatur, p. 34. l. *ult.* à pastoribus p. 42. l. 14. ratio, p. 47. l. ult. eatenus, pag. 52. l. 25. creet, p. 55. l. 9. 10. alias ubi non extat divinum mandatum. R. Rivetus, p. 56. l. 6. ita nihil consilio & imperio inter, lin. 16, 17. *lege* hortationibus, p.

59.l.6.decurtare, p.61.l.3. competit, p.63. l. 18, 19. posita *lege* petita, p.67. l.8.exhibet,p.78.l.27,28.sexaginta *lege* viginti quinque, pag.83.l.15.articulorum 25.& 33.p.80.l.8.delerent p.107. l.6. judicii,p.118.l.15.astruendum, p. 120.l.9,10. pastoralem & externam inutilem esse in foro, p.122.l.2.consilii p.126.l.20. *dele* ab ipso *lege* à magistratu, p.142.l.13. *judicante, lege* judicato, p.154.l.28.ἐξήγησιν, pag.155. l.30. magis *lege* plus, p.185.l.31. demum ad sanctum munus admissum Evangelici, p. 191.l.13.νομοθετεῖν, ib.l. 21.ἐκκλησιῶν, pag. 199.l.16.1 Cor.1.v.14. & cap.2, pag. 220.l.24,20. *lege* 10. p.228.l.7.acceperint,p.236.l.15.Dei,pag.243.l. 10. *lege* in terris l.ult. non sunt,p.252.l.28. *dele* non, p.260.l.16. ἀπτωσία, pag.264.l. ult. εἴτις p.278.l.14. ἀποσυναγώγῳ, p. 279. l.antepenul. *lege* ἔλεος, p.286.l.3.potestati,p.290.l.21. ἀντίστροφος, p. 296. l. 7. consortio,pag.254.l.23. imperio *lege* muneri,p.298.l.4.debeant,p.303.l.21. comedendo, pag,314.l.27.videntur,

p.

p.315.l.13. ἔτω, p.316.l.6. ἀκαινονεσίαν, p. 317. Origenes, pag.321.l.11. vescendi *lege* vesci, lin.12. comedere ejus corpus & bibere, p.322.l.27. 28. olum *lege* solum, p.323.l.6. non figura aut typus est, pag.324.l.10. non ejus figura & typus, p.327.l.8. μέθεξιν, pag.339.l.24. excommunicato, p.342.15. *lege* 1605. p.344. l.ult. & 345.l.1. nisi noverit suum judicium de excommunicato ratum esse, p.346.l.4. *dele* forsan lin.29. 30. l. abluserunt, p.352.l.30. quod *lege* quo, pag. 355.l.2. fatear, p.355.l.10. vocetur l. vocari, p.356.l.1. respicit *lege* respuit, lin.21. voluit *lege* noluit, pag.358.l.9. προσεδρεύοντας, p.359.l.32. quo *lege* quæ, p. 368.l.21. fidem, p.369.l.3. præcipui, p. 376.l.6. λελυπημένῳ, p. 337.l.26. Origenes p.379.l.ult. quod si, pag.380. l.18. *dele* quod, p.389.l.10, 11. remissum iri l.12. retentum, lin. 22. nequidem, pag.404. l.17. Ecclesiasticorum *lege* scholasticorum, p.405.l.21. lacesseretur, p.409. l. *ult.* non quod Melanchton novam, p.412.l.9. fuerit l. 16, infestam, p.414.

Ti-

Tigurinum, p.415.l.29.30. scriberentur, p.416.l.20. [illegible], p.417.l.32. cationi, p.422.l.16. subrepsisse, p.431.l.27. memoria nos, p.437. l.6. *dele* eum lin.28. abstiturum *lege* abiturum, pag. 445. l.4. obtruderunt, l.15, 16. *dele* astruatur *lege* declinetur invidia, p.452. l.5. *lege* discutitur, p.454, l.20. fundari, p.482.l.18, 19. monendo ut obtemperet salutaribus, lin. 22. à se aut à quaquam synodo reputat, p.493 partis *lege* patris, p. 503.l.10. Ecclesia, p.511.l,23. Psaltis p.513.l.3. Ecclesiastis p.516.l.5. retinendi *lege* redimendi p.517. l.33. expellerentur p. 518. l.4. converteret p.524.l.34. Ecclesiasticarum, pag.526. l.2. *lege* c.31.lin. 29.l. Constantius, p. 544.l.1. foveretur p.546. l.7. agebant pag.557.l.*ult.* ac lin. sibi *lege* hanc sibi p.551.l.19. dyptichis p.566.l.20. pretium pag.571.l.2. perfunctorie p.575. l.19. Ephesinam pag.584.l.13. esse *lege* sit p.585.l.27. *dele* Sleidanis pag. 592. l.11. *dele* aut ab Ecclesia pag.593. l.11. velitemur p.596.l.2. aliarum p.598.

l.22.

l.22, Christiani p.599. l.26. ratam non habuisse p.601. l.33. sic *lege* sit p.614. l.26. non aliam agnoscunt p.619. l.13. *dele* nec, lin.32. nec *lege* &, p.626. l.22. dominatæ sunt p.628. l.27. quem *lege* cui lin.27. abjudicant p.637. l.27. nulli p.650. l.9. ad *lege* id, lin.12. lege in exemplo quod p.651. l.20. sategisse pag. 643. l.14. fidelem. sed in foro externo stat pag.655. l.6. *dele* alibi pag.472. l.2. affirmare p.682. l.19. excommunicatum p.643, *post* partium *lege* vel neutro p.696. l.2. Domnum lin.12. rapto *lege* obtorto p.699. l.29. homini pag.702. l.28. regiam &.

Cum me in omnes cogitationes verso & conscientiam interrogo, non aliorum erratorum reum & manifestum me agnosco quam ejusmodi quæ memoravi; quanquam viri docti in Gallia & Belgio, sed passim in Anglia & Scotia, verum potestatis Ecclesiasticæ vindices, unicam duntaxat παράκλησιν culpent, at quæ sit congeries & cumulus errorum uno obelo configendus,

ut

ut nunc si eis creditur totum scriptum una liturâ sit expungendum. Hoc præjudicio correpti etiam plurimi qui titulum libri tantum legerunt aut de eo inaudiverunt, non minorem mihi creant invidiam, meq; variis exagitant appellationibus invidiosis, ut nisi jam mens veri & recti pertinaciâ, obfirmata esset adversus clamores amicorum per literas, tum aures meæ occalluissent ad voces querelarum accusationum & imputationum gravissimarum quibus ad occursum presbyteriani alicujus licet amici, sua aut aliorum judicia proferentis, verberantur, planè, quò eas voces effugerem nec legerem quæ nolo, non deberem ullas referare literas, nec pedem domo efferre. Charissima soror Maria Molinæa, (& ipsa bonorum literarum cultrix) nupere scribebat meum librum tantam invidiam in me excitasse in Hollandia apud sacri ordinis viros, ut si suum quique qui eo nomine mihi male volunt lapidem in me jacerent, lapidibus

obruendus

obruendus forem. fanè tantum præjudicatæ opiniones poſſunt etiam apud amicos quos Londini habeo ſed presbyterianos, ut cum uni dono darem librum diſtrictè denuntiaverit ſe nunquam in meam ſententiam conceſſurum: cumque idem poſt aliquot ſeptimanas mihi occineret & diceret ſe nullatenus permotum meis argumentis, verus es inquam, & promiſſi tenax; præmonueras enim te à ſententia ſemel recepta non diſceſſurum: non nullos proculdubio experirer magis æquos ſi illud Senecæ arctè tenerent & obſervarent lib. 3. de ira cap. 29. *multos abſolvemus ſi cæperimus ante judicare quam iraſci.* etenim ante iraſcuntur quam judicent. Deus bonè! itane mentes bonorum virorum cæterâ intelligentium ſunt excæcatæ & partim præjudicio, partim pertinaciâ obſeſſæ, ut non videant aut intelligant hanc veritatem quam aſtruimus, quamq; tam manifeſtam, tam claram, tamque obviam etiam vulgari intelligentiæ

genriæ ſtudio à recto non abductæ plane ſum perſuaſus & imbibi, quam mihi certò conſtat bis duo eſſe quatuor & rectam lineam breviorem eſſe obliquâ. verùm dandum eſt ſpatium ſententiæ alte inſitæ, adultæ & roboratæ; nec expectandum eſt ut impetu unius admonitionis veritas & ſapientia inculcentur: Iam video quorumdam animos molliores & eo adductos ut propriæ cauſæ diffidant. Legi nuper hoc judicium de Paræneſi mea viri magni in Gallia ſed vindicis poteſtatis Eccleſiaſticæ acerrimi ad N. ſcribentis *fundamentis ſatis ſpecioſis ædificat, licet non ſemper veris*, ergo plerumque veris: nec me latet ut ſemper varia fuerunt judicia theologorum ſuper poteſtate Eccleſiaſtica, ſic nunc contraria eſſe eſſe ejuſdem ordinis judicia de Paræneſi mea; cũ enim magnus Theologus Io. Meſtrezatius dicat titulum libri mei qui eſt Paræn. ad ædificat. Imperii in imperio præ ſe ferre manifeſtam veritatẽ, alius ejuſdem ordinis & patriæ affirmat

men-

mendacem esse & maledicum atque mere calumniam. sed antequam desinam vindiciarum, dabo hic conspectum Erratorum quæ omissa dicent, qui mihi sunt minus æqui in nostro mendorum catalogo; quæque non muto sententiam à me pie & vere asserta esse, ut judicet aliquis lector an causa ulla sit cur ut hæreticus, ἀταχτος & omnis ordinis & disciplinæ hostis audiam.

I. Statuimus potestatem omnem seu Pastorum seu presbyteriorum aut synodorum in foro externo judiciariam & authoritativam, ut vocant, quæ non est subordinata magistratui nec ab eo delegata neque assumpta est per confœderatam disciplinam (quæ quidem ubi magistratus non curat res Ecclesiæ locum magistratus obtinet) pugnare cum sacra Scriptura, recta ratione & ipsa natura ac consuetudine gentium; immo licet verbis vendicatam & assumi tentatam, nunquam tamen sic haberi & retineri potuisse, præsertim

ſertim ſub magiſtratu orthodoxo ut non in ejus jura relaberetur.

II. Statuimus cum Bullingero diſciplinam in Eccleſia eſſe debere, ſed eam diſciplinam debere adminiſtrari vel à magiſtratu vel à vindicibus diſciplinæ confœderatæ, qui vices magiſtratus in Eccleſia obeunt.

III. Non repugnamus excommunicationem eſſe legem vel magiſtratus vel confœderatæ diſciplinæ; at negamus legem eſſe Chriſti & cenſuram Divinam à ſolis aut omnino à paſtoribus aut ſenatu perperam Eccleſiaſtico dicto, exercendam; aut hujus poteſtatis excommunicandi collatæ (in paſtores aut Senatum Eccleſiaſticum) extare ullum aut veſtigium aut præceptum in Scriptura.

IV. Pertendimus poteſtatem clavium, quæ etiam dicitur ſolvendi & ligandi poteſtas, non tam perſonis paſtorum quam verbo Dei affixam eſſe, ſeque exerere per miniſterium Evangelicum, dum ad auditionem verbi & vi

ſpiritus Dei in verbo homo vinculis peccatorum ſolvitur & ei regnum cœlorum aperitur.

V. Statuimus paſtores eſſe Angelos, præcones myſteriorum divinorum, legatos, miniſtros Dei ad annunciandum Evangelium, fidem & pœnitentiam ingenerandam, totum Dei conſilium patefaciendum, & ſalvandum animas, quibus competit munus longe graviſſimum, at nulla juriſdictio niſi ſpiritualis & in volentes & eos quibus perſuaſerint.

VI. Munus paſtorale ſtatuimus ſeorſim certis hominibus conferri, ut non liceat promiſcuè omnibus ſine vocatione legitima ſuggeſtum conſcendere & ſacramenta adminiſtrare.

VII. Eam vocationem ſeu ordinationem putamus his inſtrumentis & mediis conſtare, vocatione interna & externa, interna quidem quâ vir compos ſui & ipſe ſe & dona Dei, tum naturæ & induſtriæ excutiens, tum deſiderium

derium inſerviendi commodis Eccleſiæ, deſtinat & reſervat miniſterio.

VIII. Externam vocationem exiſtimamus conſtare. 1. electione Eccleſiæ. 2. teſtimonio laborantium in verbo de viri ingenio, pietate & eruditione declarantium à ſe cenſeri idoneum & dignum qui habeatur Dei miniſter. 3. licentiâ externâ defungendi miniſterio publicè, quæ quidem indulgetur in republica Chriſtiana ſi reformata, à magiſtratu; ſin minus ab illis qui magiſtratus loco ſunt cuſtodes diſciplinæ confœderatæ. 4. oratione ſolenni facta ab uno aut pluribus paſtoribus ut Deus benedicat laboribus illius quem agnoſcunt conſpirantibus votis, tum Dei, tum Eccleſiæ, atque petentis miniſterium, ſeponi & vocari ad Sanctum munus; ut enim paſtor non confert authoritatem paternam aut maritalem, ſic nec miniſterialem ſeu paſtoralem ſed ſolus Chriſtus; nec vocat aut mittit ſed vocatum & miſſum agnoſcit, miſſoque bene precatur; quas quidem

precandi partes non vetamus ad indicium animi tanto ferventioris nobilitari manuum impoſitione, ita tamen ut cenſeatur hic ritus adhiberi potius ad decus quam ad integritatem & neceſſitatem aut vocationis paſtoralis aut orationis ad Deum.

IX. Statuimus non ulterius magiſtratum eſſe Iudicem ſummum controverſiarum & fidei quam quatenus in foro externo nulli canones, nullæ definitiones, immo ne præcepta decalogi & Evangelii ullam obligationem & neceſſitatem parendi cuiquam propter iram imponunt (ſed tantum propter conſcientiam) niſi rati approbati, & quaſi demum & de novo à magiſtratu ſanciti fuerint. Quatenus etiam nihil decernere & imperare debet cœco judicio, plane judicium de quacunque re tam ſummum debet eſſe quam imperium, ut cujus eſt ultimo decernere & imperare, ejuſdem ſit ultimò judicare.

X. Pertendimus reformatarum Eccle-

Ecclesiarum Pastores accepisse ab Ecclesia Romana exemplar imperii in imperio fabricandi: illa enim gnara apud vulgus vocabulorum involucris rerum cognitionem & personarum jura obtegi, ut duo imperia firmaret coordinata, commodum duxit quibusdam vocibus à vulgari significatione flexis res genere & naturâ diversas designare, ut alius esset magistratus & princeps Ecclesiæ, alius reipublicæ; hic diceretur civilis & politicus magistratus, ille Ecclesiasticus; huic potestas & jurisdictio Ecclesiastica jusque canonicum competeret; ad illum jus civile & potestas civilis pertineret; alterum imperium à magistratu Ecclesiastico, alterum à politico aut civili susciperetur; hujus esset disponere de muneribus reipublicæ, illius Ecclesiæ; à neutro daretur provocatio ad judicium alterius. sed in paræneſi nostra probavimus ea membra quæ fingunt coordinata esse & in æquo stare mere auribus illudere; nec res quæ vocibus illis de-

notantur quicquam ſeorſim & reale poſſidere; ut Eccleſia non ſit in republica, poteſtas Eccleſiaſtica non includatur poteſtate eorum qui præſunt ſummæ rerum, leges Eccleſiaſticæ perperam nomine aut legum aut Eccleſiaſticarum non denominentur, niſi robur habeant ab eis quibus ſolis competit eis vim legum imprimere: neque enim princeps magis eſt magiſtratus civilis quam Eccleſiaſticus: nam ſi dicitur civilis quia in cives habet imperium, cur non perinde dicetur Eccleſiaſticus, quandoquidem viris Eccleſiaſticis & civilibus juxta imperet; aut cur imperium quod in medicos aut fabros habet non dicetur fabrile aut medicum: poſſet enim videri ἀκορισλόγως ut poteſtas magiſtratus denominationem ſumat à ſtatione aut munere quod ſubditi ſuſtinent: cum potius convenientius id foret epitheton quo deſignatur poteſtas legiſlationis & juriſdictionis, tum virtus politica, quibus omnes ſocietates, ut colentium

Deum,

Deum, negotiantium, medicinam facientium, in ſchola docentium, tum ſeparatim reguntur, tum in unum reipublicæ corpus colligantur: quocirca licet vocabula *politici* & *civilis* idem in ethymo ſonent, attamen cum illud deflexerit à propria ſignificatione & deſignet virtutem & prudentiam tum legiſlationis tum juriſdictionis, quæ adhibentur in fundandis & regendis rebuſpublicis, civitatibus, ſocietatibus & familiis; is maxime proprie dicetur magiſtratus politicus qui præeſt omnibus civitatibus & ſocietatibus quæ politeiæ vinculo in unum reipublicæ corpus coaluerunt. at ſic poteſtates Eccleſiaſtica & politica non erunt coordinatæ, ſed hæc illam includet, ſiquidem politicæ poteſtatis & prudentię maximus ſit uſus in gubernatione Eccleſiarum, presbyteriorum & ſynodorum, & æquum ſit ut qui caput eſt omnis politeiæ & ordinis humani, is etiam ſummo judicio & imperio præſit politeiæ Eccleſiarum, presbyte-

riorum & ſynodorum, quæ teſte Meſtrezatio arbitraria eſt, adeoque juris & inſtituti humani. pari acurologia leges dicuntur Eccleſiaſticæ eæque genere & naturâ diverſæ à politicis; nam eoipſo quod à ſolo magiſtratu robur accipiunt legum obligantium ad obſequium, perinde accenſendæ ſunt legibus civilibus ſeu politicis ac leges medicæ & fabriles: nam & ipſa præcepta decalogi ſunt leges politicæ quatenus in foro civili neminem propter iram obligant, niſi de novo à magiſtratu ſancita & lata fuerint. non ulterius ergo admittimus appellationes ſenatus Eccleſiaſtici, juriſdictionis Eccleſiaſticæ, legum Eccleſiaſticarum quam quatenus ad bonum Eccleſiæ ſunt factæ & comparatæ; quo ſenſu Muſculus dicit etiam leges poſſe dici medicas & fabriles, non quia à medicis & fabris latæ ſunt, ſed quoniam ad commodum medicorum & fabrorum ſunt ſancitæ; forſan antelationem legum expiſcato conſilio medicorum & fabrorum, ſed non expectata eorum authoritate. XI.

XI. His intellectis quis non videt corruere ſylvam diſtinctionum & diviſionum poteſtatis, juris & judicii, tum rerum Eccleſiaſticarum, quibus preſbyteriani deſtituti firmamentis è ſcriptura petitis ſupportant ædificium ſuum poteſtatis Eccleſiaſticæ, haud abſimiles Pontificiis qui pro cultu imaginum confinxerunt diſtinctiones latriæ, douliæ & hyperduliæ, ut jam ſi unum ex ſcriptura, multa ſaltem citra ſcripturam juvent; fruſtra enim quæras in Scriptura poteſtatem Eccleſiaſticam intrinſecam & extrinſecam; directam & indirectam; tum objectivam & formalem, hanc quæ ſit vel ratione objecti circa res & perſonas, vel ratione modi qui eſt Eccleſiaſticus, illam quæ itidem habeat pro objecto vel res vel perſonas: huc pertinet poteſtas Eccleſiaſtica propriè & impropriè dicta, tum executiva, conſtitutiva, directiva, authoritativa, declarativa, cumulativa, privativa, deſtructiva, auxiliaris: quibus adde poteſtatem quæ ſe exerit vel per modum

Eccle-

Ecclesiasticum vel per modum politicum, nec non divisionem potestatis Ecclesiasticæ in eam quæ est cura religionis & eam quæ est cura circa religionem, quarum hæc ad magistratum, illa ad pastores pertineat. vix Scotus si reviviscceret hæc intelligeret & se ex his dumetis eriperet, saltem dubius hæreret in assignanda cuique sua potestate, & definiendo, privativane potestas & destructiva magistratui, an verò pastoribus debeatur.

XII. His etiam intellectis, hoc est admissis plane conficitur, magistratu non curante res Ecclesiæ, unamquamque Ecclesiam particularem recidere in conditionem liberi populi, adeoq; habere potestatem, vel se cum aliis & vicinis Ecclesiis conjungendi, vel seorsim suas res agendi, & à quoquam cœtu esse independentem, quod tamen vocabuli multi tam verentur pronunciare aut audire quam felis fervidâ aspergi; quanquam qui independentiam in aliis culpant, eam maxime & reipsa

reipſa retinendam cenſeant in Eccleſia. Sanè Walæus, Thyſius & Gilleſpius ſi viverent, pertenderent Eccleſias, puta Belgicam, Scoticam, Genevenſem Auranſionenſem ſoli Chriſto ſubordinatas eſſe, eaſque independentes eſſe à magiſtratu, quod ſane fratres Angli nunquam affirmarunt de nationali Eccleſia.

Profectò niſi aſſertores hujus ſententiæ duodecim hiſce capitibus comprehenſæ, quæ vox eſt ſacræ Scripturæ, naturæ & gentium; tum Zwinglii, Muſculi, Bullingeri, nec dubito quin ſit Meſtrezatii, pene obruerentur multitudine contrariæ vindicum, haberent unde horum ſententiam de poteſtate Eccleſiaſtica judiciaria longè invidioſiorem redderent, quam odioſum eſt quod affingitur oppugnantibus eã. ſed tantus eſt concurſus inclamãtium hanc Dianam ut exaudiri non poſſint voces manipuli in turba ingeminantis *hoc poteſtatis Idolum diruite, evertite:* tũ qui in alienum venerunt dominium ſolent

acrius

acrius contendere quam qui amiſerunt ſuum, ut plerumque pertinaciores ſunt qui tuentur malam cauſam quam qui bonam, veriti ne conſilii & ſententiæ mutatio, vel prodat inconſtantiam, vel dedecus, aut periculum creet, reputantes tutius eſſe in imo conſiſtere quam ad imum præcipitari. ſed quo tandem conſilio vindices poteſtatis Eccleſiaſticæ perſeverent cultum huic idolo impendere, nec id ſibi eripi patiantur, in eos quadrat illud Senecæ. *Quamvis vana nos concitaverint, perſeveramus ne videamur cœpiſſe ſine cauſa.*

Epi-

Epiphonema ad reverendos verbi Dei Ministros in Anglia, qui se Presbyterianos vocant.

CLaudam, tum Corollarium meum, tum Admonitionem, epiphonemate S. Pauli ad Timotheum 1 Ep. 1. cap. 1. considerate quæ dico vobis; det Deus vobis intelligentiam: ne patiamini diutius figmentum illud humanum de potestate Ecclesiastica obsidere mentes vestras. Quid vobis cum alia potestate seu legislationis seu jurisdictionis præter eam quâ vel pro functione vestra ministrorum & legatorum annunciatis quæ Deus vobis in mandatis dedit, nihil de vestro tradentes aut pronunciantes, vel vi verbi & spiritus in ministerio homines quasi religatis Deo & à potestate Satanæ ad regnum Dei transfertis? nam alias claves aut alium gladium, non dedit Deus in manus vestras; potestas vestra est in volentes & in eos quos verbum Dei in ore

ore veſtro pervicerit. quid regnum in regno agitatis animo præter regnum Dei quod per miniſterium veſtrum Deus habet in cordibus hominum. Id enim dum imaginatione non tantum figuratis vobis, ſed & paſſim in cœtus ex ſolis presbyterianis miniſtris, diſceditis, de ſumma rei presbyterianæ quaſi conclamatæ conſulturis; tum non tantum gregibus veſtris, ſed & viris conſularibus & ſenatoribus in comitiis ſedentibus, quibus perpetuò imminetis & ſupplicatis, commendatis regimen presbyterianum tanquam jugum Chriſti & diſciplinam in jure Divino fundatam, cui ſe ſubjicere omnes fideles propter conſcientiam teneantur, quin propriâ authoritate conſiſtoria erigitis, ad ea ſeniores laicos allegatis & gladium veſtrum cenſurarum ſtringitis; hæc inquam dum agitis, mentes & conſcientias percellitis & agitatis diverſis motibus & ἀποκαραδοκίᾳ quo tandem evaſuræ ſint clanculariæ illæ conſultationes, tũ odia partium quæ fermè detumuerant

reno-

renovatis; unde qui concordes in fide erant, propter illam discordiam variorum judiciorum circa disciplinam magis ab invicem abalienantur. potius operam sociate cum omnibus pastoribus qui in una fide conspirant ut concordibus animis eandem doctrinam fidei ab omni hæresi defœcatam doceatis & diffundatis in omnes hominum ordines. In eam curam si sedulo incubueritis spes est fore ut diversa judicia de disciplina id temperamentum recipiant, nempe non posse doctrinam immo ne Ecclesiam constare nisi omnia ordine in Ecclesia peragantur: at illum ordinem esse instar vestis quæ parum attinet quâ forma aut ex quo texto habeatur, modo tegat corpus & ab injuriis externis vindicet: sic perinde esse quæ disciplina usurpetur, si modo nulla jure Divino obtrudatur, nec per eam quicquam doctrinæ fidei pereat; quo pertinet, quancunque disciplinam quæ sub magistratu adverso assumitur confœderatam esse debere, at sub ami-

co

co & orthodoxo concedere in ejus jura & per delegatam ab eo potestatem retineri. sane cum magis voto quam possessione hactenus complexi fueritis regimen presbyterianum, nec dum experiundo cognoveritis ejus commoda aut incommoda, cur istius velificationis prorsus ignari vultis dare vela vento. sed cum de ministris protestantibus quotquot sunt in Anglia vix sitis tertia pars; at de toto populo Anglicano in eadem fide vobiscum conspirante, nequidem habeatis vicesimam iisdem quibus estis sensibus circa disciplinam & æquo animo colla jugo presbyteriano submissuram & ad fulmina excommunicationum oculos & auriculas juxta demissuram; frustra speraretis maximam partem tum ministrorum tum plebis in vestram disciplinam & sententiam trahere, ut crederent regimen vestrum presbyterianum esse jugum & legem Christi, schema ac exemplar esse ab eo traditum, quod omnes Christianorum cœtus sequantur, atque

atque excommunicationem non minus esse legem Evangelicam ad salutem perducentem animas, (ut assertum fuit frequenti Theologorum presbyterianorum conventu apud Westmonasterienses) quam prædicatio verbi & administratio sacramentorum. Cumque stirps propago virorum sanctitate vitæ & doctrinæ conspicuorum Grenhamorum, Perkhinsiorum, Reynoldorum, Rogeriorum, Prestonorum, Boltonorum qui inspectantibus & indignantibus hierarchiæ Anglicanæ adeoque potestatis Ecclesiasticæ vindicibus, solo fræno verbi & sola potestate flexaminâ gentem puritanicam numerosam sanè & late fruticantem nobis pepererunt & conservarunt, quid vos concitat ut alio vocabulo idem onus quod fuit patribus vestris puritanis grave, in cervices Anglorum reducatis? absit ut jam beati excusso nuperorum episcoporum jugo sub quibus pietas crimen erat, nec veritas in pulpito hiscere audebat, vestram

felicitatem corrumpatis, accersitâ Orbiliorum ferulâ, sub qua tremant qui ad minas Dei non contremiscunt. Non nego multa in melius mutari posse: si tamen hæcce tempora cum retro lapsis componantur, non dubitabo affirmare ab hinc triginta annos non fuisse res Ecclesiæ florentiores, Academias defœcatiores, terram feraciorem ministrorum doctrinâ & vita præstantium, eorum reditus lautiores, minus lacessitam & interruptam prædicandi Evangelium libertatem: nam quicquid nonnulli dicant de hæresibus hodie feracioribus quam regnantibus non ita pridem papaturientibus episcopis, certum est neminem hodie propter Evangelicam doctrinam aut professam aut prædicatam capite diminui, aut libertati suæ aut fortunis quicquam perire; at tempus fuit & recentissimum in memoria mea, cum pietas sanctitasque vitæ & doctrinæ fraudi esset verbi Dei ministris. Sed audio nonnullos de vestro ordine, qui se moderatos

ratos dicunt & media viâ incedere profitentur, passim in ore habentes se cupere id regimen Ecclesiæ in Anglia stabiliri quod nec presbyteriorum & synodorum jura, leges & sententias mancipet magistratui, ut fit apud Helvetios, nec, quale fratres Scoti retinent, quod separatum sit ab imperio & jurisdictione magistratus tanquam naturâ & genere plane diversum, ut pastores Ecclesiastica, magistratus civilia tantummodo curet; hic reipublicæ, illi de Ecclesiæ muneribus disponant, sed divisum cum eo habeant, ut mutuò sibi auxilio sint & operam dent: at qui id temperamentum afferunt citius piscarentur in aëre aut apros venarentur in medio mari quam experimento comprobarent; cum enim probaverimus officia Christiani & civis sic connexa esse ut religio Christiana maxime justitiâ servetur, & vicissim justitia religione custodiatur, impossibile est sine collisione & conflictu ut causis, legibus & imperiis in duas classes

diviſis, una viris Eccleſiaſticis, altera magiſtratui ſeorſim attribuatur. Sanè tam poſſibile eſt ut paſtores, presbyteria & ſynodi diviſum habeant imperium cum magiſtratu circa negotia reip. quam circa res Eccleſiæ. Sed tam figmentum eſt humani cerebri ut quod itidem figmentum eſt humanum & pugnat cum Scriptura ſacra, medio modo & cum moderatione habeatur, quam credibile eſt modum poſſe adhiberi poteſtari Papæ depellendi reges ſolio, extrahendi animas è purgatorio aut indulgentias cauponandi. In ea ſum ſententia vituperandam magis eſſe reconciliatorum illorum moderationem quam fratrum Scotorum pertinaciam & inflexibilem rigorem; namque hi, ſuppoſito quod diſciplina presbyteriana, ut ab eis creditur, habeat Chriſtum authorem, meritò non patiuntur ei modum imponi & ad medium compelli; at illi non poſſunt in errore non verſari cum poteſtatem Eccleſiaſticam medio modo haberi volunt, aut non

totum

totum largiendo quod magiſtratus eſt, aut non retinendo quod totum Chriſti eſt. Hæc cum ita ſint, per miſerationes Dei oro, obteſtor vos ne dum unius hoc eſt veſtri regiminis pertinaces eſtis, præripiatis vobis commoda quæ ex quacunque diſciplina ubi jure divino non eſt obtruſa accederet; neve intempeſtivis remediis vulnera quæ propemodum coaluerunt inflammetis. Quod Deus auertat.

FINIS.

Errata hæcce irrepſerunt in Corollarium & Admonitionem.

Pag. 32. lin. 16. *lege* quem pervicerint & perſuaſerint.
P. 49. lin. 18. *lege* non poſſit probari ex.
Pag. 78. lin. 3. *lege* penè.
Pag. 92. lin. ult. ſtate *lege* ætate.
Pag. 154. lin. 7. lib. *lege* cap.

LUDOVICI MOLINÆI

EPISTOLA

AD

Nobiliſsimum Virum

ROBERTUM BOYLE

DE

USURIS.

AD LECTOREM.

CVm nudiuſtertius Oxoniæ mihi ſermo eſſet cum Nobiliſſimo & in omni diſciplinarum & artium genere excellentiſſimo viro Roberto Boyle fratre germano Illuſtriſſimi Corkagiæ Comitis, de Salmaſii novis, repertis & illuſtratis in re literaria, ſacra aut exotica: cumque ſubſtitiſſemus in re uſuraria, ipſe vero multa repoſuiſſem quibus fœnus uſurarium probaretur licitum eſſe, contrariam verò ſententiam abhorrere tum à ſacra Scripturæ, tum à recta ratione, non deſtitit vir illuſtris inſtare ut quicquid tum voce promebam, vellem chartis illinere & edere donec perpulerit. Cum autem diceret operoſum & diffuſum eſſe Salmaſii opus à quo non facile quis transferat in brevem tabellam præcipua momenta argumentorum quibus fœnus uſurarium aſtruit, eum defectum exiſtimavit me poſſe ſupplere: ſed cum diu ſit poſtquam non viderim Salmaſii libros de uſuris,

nec

nec quicquam ex eo excerpserim; neque sciam id quod memoriâ teneo, an Salmasii, an alterius an vero meum sit, quicquid in pectore conditum habeo non gravabor ut viro illustri obtemperem eruere & superioribus dissertationibus attexere; eoque magis quod epistola paucarum paginarum cito in auras tanquam levis pluma abiret, nisi illi pondus à justiore volumine accederet. quid? quod sententiæ de Vsuris & de potestate Ecclesiastica juxta fascinantes hominum mentes, ex æquo etiam è mentibus sunt evellendæ.

Ad Nobiliſsimum & Præſantiſsimum Virum

ROBERTUM BOYLE.

REquiſiviſti, Vir Illuſtris, ut tibi exponerem ſenſa mea de pronunciato iſto, *omnis uſura eſt illicita*, magnis animorum æſtibus diſputato & conſcientiis impoſito; quin à Reverendo Antiſtite Andrea Wintonienſi Epiſcopo defenſo. Ante omnia ad totius controverſiæ elucidationem, ſciendum legum ſeu Divinarum ſeu humanarum, alias morales, alias poſitivas eſſe; illas quidem æquitatis moralis & contra quas qui peccat, peccat in legem Divinam moralem in corde hominis inſculptam, ut ſunt præcepta omnia decalogi uno duntaxat excepto. Inter divina

divina præcepta positiva magis univer. salia numerantur observatio sabbati & pleræque leges politicæ ad Iudæos pertinentes. Civilibus & positivis constitutionibus hominum accensentur leges de cernenda hæreditate, ut primogenitus sit hæres vel ex asse, besse, &c. Præter has leges statui debent nonnullæ positivæ minus universales quæ sunt exceptiones à legibus tum positivis tum moralibus, ut est mandatum mutuo sumendi ab Ægyptiis vasa & lex quo interdictum fratri fœnerari: In positivis legibus æquitas potius est in legislatoris voluntate cum se attemperat ad circumstantias locorum, temporum & gentium: at in aliis æquitas in re ipsa constituitur. Secundum quæ præpono pro concesso. 1. morales leges cum cordi homini sint insculptæ plane concordare cum æquitate naturali & humana ratione. 2. positivas saltem Divinas quanquam non sint in ratione humana & æquitate naturali fundatæ,

sed

ſed maximam partem ſint vel ſupra vel præter conſuetam rationis normam conſtitutæ, attamen non pugnare cum recta ratione; in his ſunt leges tum à Deo latæ ut lex de ſabbato, plures leges politicæ Iudæis datæ, tum ab hominibus, qualis lex quæ ex æquo decernit hæreditatem paternam inter filios dividendam; immo illa lex quæ in diviſione bonorum minimo liberorum potiorem partem adjudicat, quanquam non contraeat rectæ rationi, non videtur tamen in ea fundari.

His præmiſſis quæritur an mutuum uſurarium ſit contra legem divinam: item annon perinde ſit fas creditori habere uſuram pecuniæ creditæ, ac debitori licet ejuſdem pecuniæ uſum habere. Licere planè affirmo & nego contractum uſurarium eſſe contra legem divinam, ſeu mandatum de uſuris pertinet ad legem poſitivam, ſeu ad aliam legum claſſem. Id imprimis pertendo mutuum aut contractum uſurarium planè cum recta ratione con-

consperare legeque morali, adeoque divina, ut qui lucrum facit de pecunia mea, quæ forsan summa est facultatum mearum, mihi tantum præstet emolumenti, quantum ipse ex ea lucri fecissem si penes me fuisset, lucro operæ excepto quod debitori meo debetur; nam hic rogo si centum librarum quibus ipse rem facio mihi usuræ sint terræ, quincunces, vel usura gemina dextans sorte integra ac conscientiâ salvâ & sine cujusquam injuria aut damno, an non eadem sors apud alium deposita tantundem lucri faciet quam si apud me esset, pariter sorte integra & citra læsionem conscientiæ, & absque cujusquam injuria? Hoc cum sit veritatis indubitatæ, an æquum est cui centum libras credidi atque is lucrifecit duodecim, mihi saltem compendium non faciat usuræ semissis seu sex librarum: fateor enim minus exigendum esse ab alieno sortem meam negotianti quam si ipse laborando & vigilando ex ea rem facerem; æquum est enim imputa-

ri

ri debitori meo lucrum pro impensa laboris & operæ; nam ut res æquâ Iudicii & justitiæ lance æstimetur, is qui usuariam accipit pecuniam nec parcit operæ ut rem faciat, sic partiri debet lucrum quod inde accedit ut sibi operæpretium, creditori verò usurarius ejusmodi fructus debeatur quem sine labore decerpsisset si agris pecuniam occupasset & eos villico locasset; illi verò qui propriam fœnerat & operæ & pecuniæ merces accedere debet.

Objicitur iniquum esse rebus humanis adeo incertis, spe incerta, lucroque incertiore, ut quis pacto convento teneatur tibi ex tua pecunia certum lucrum reddere, cum tamen nemo certus sit quantum fœnerabit. Resp. 1. pari ratione iniquum futurum si creditor pacto convento à debitore exigat non tantum usuram sed & sortem, cum hæc & illa non sit extra periculum damni, ut sors non tantum sit inutilis & infructuosa in manibus debitoris, adeoque nullam usuram & quæstum

pariat,

pariat, sed etiam de ea aliquid accisum fuerit ut integra non possit restitui. 2. sed si quæ vis aut æquitas in objectione nec domus nec prædium pacto convento, nec certo reditu annuo locari deberet, siquidem evenire possit ut villicus incendio stabuli frumentarii aut diluvio exundantis in pascua plane ad incitas redigatur ut non possit non solum reditum annuum solvere, sed nec fundum ipsum integrum utpote iniquitate temporum retro sublapsum, Domino reddere. 3. valida forsan foret objectio si seculum aureum fingi aut revocari posset, quo sine pœna & coercitione homines officio fungantur & honesta suopte motu petunt. sed cum ejusmodi seculum vix concipi possit, tum quia mali & fidei subtiles & lubricæ vincunt numero bonos viros; tum quia etiam inter probos proclive est sic propriæ utilitati consulere ut damna sua amplificent, lucra verò quasi minora prædicent: cumque in omni mercatura & negotiatione sæpius

lucrum

lucrum quam damnum emergat, profectò niſi pactò convento res inter homines tranſigerentur, grav& id duplex incommodum conſequeretur, nempe jactura pecuniæ in creditore, & naufragium fidei & bonæ conſcientiæ in debitore. Cumque utrobique (ſive adſit pactum ſive non) iniquior conditio ſit non habentis ſuum quam poſſidentis alienum, non æquum eſt ut qui mutuam pecuniam accepit potiore jure & conditione fruatur quam qui dedit: hicque non teneatur repetere ſuum & ad reddendum cogere, alteri vero liberum ſit reddere vel non reddere, quatenus dixerit ſuis rationibus congruere; cum potius is deberet potiori conditione uti cui fallere & mentiri dulce eſt: quis enim non credat poſſeſſoris uſuræ & ſortis proniorem fore lapſum ad fraudes & mendacium quam creditoris qui pecuniâ ſuâ caret, quique nummis vacuus ut totâ ſummâ non careat minus ægre adducetur ut æquum ſe præſtet & de jure ſuo decedi

patiatur, quam debitor eò delabatur ut creditori ex pacto & ad rigorem juris faciat satis: plus enim quietis modestiæ & æquitatis expectandum est à creditore quam debitore, seu hic ex pecunia illius minimum aut nullum, seu magnum lucrum fecerit: nam si minimum lucratus fuerit, mirum in fiduciâ nemini compertum esse præterquam sibi rerum suarum statum, ansam arripiat & præbeat damna sua amplificandi, aut si constet debitorem grande compendium fecisse ex creditoris pecunia, perinde mirum erit si in creditorem plus fuerit beneficus quam ipse se præstitisset ex modico lucro ejusdem sortis: at longe aliter accidit creditori cui fallendi mentiendique omnis præcisa est occasio, nec peccare datur nisi aut cum repetit suum ante diem constitutam, aut cum plus ex æquo justi pertinax in inflexibili rigore perstat. 4. sed in hoc mihi videtur claudicare objectio quod si æquum est ut creditor gratiam faciat debitori magna damna passo totius fœnoris ex pacto debiti,

debiti, non minus æquum sit ut debitor si triplo aut quadruplo uberiorem quæstum fecerit ex pecunia creditoris quam solenne est perito & felici negotiatori, rem facere; non minus, inquam, æquum sit ut debitor adeo ditatus creditoris pecuniâ, saltem duplex fœnus creditori rependat; nam cur debitor eâdem mensurâ non metiretur creditori, qua vult ut creditor sibi metiatur. at quanquam debitor centuplo solito uberiorem quæstum faceret ex pecunia creditoris, non videò eam esse ἀπειρίαν & modestiam antiusurariorum ut credant deberi à creditore aliquam ὑφοχὴν fœnoris præter fœnus ex pacto accrescens; cum ne quidem ullum pactum intervenire velint.

Cum ergo conventa inter homines non possint pangi ad eam æquitatis & justitiæ normam ut inde aliquod damnum non redundet in alterutram partem, hæc duo arctè teneant creditor & debitor, *summum jus summam esse injustitiam*: & *latius patere officiorum rationem*

tionem quam juris regulam. Imprimis creditor fugiat ἀκριβοδίκαιον, de suo jure decedat potius quam proximum opprimat; & ut redimat pacem tum conscientiæ, tum cum proximo, illud Augustini observet proverbium, quod Punicum esse dicit. *si vis habere pacem perde aliquid.* Immo potius patiatur se à debitore falli, jacturam suam aut lucrum occultante, quam debitor damnum ferat: Debitor vero quanto magis impunè fallere creditorem potest, seque extra legum aut justitiæ rigorem constitutum reputat, quæ nihil habenti aut nihil habere dicenti nihil auferunt, tanto magis cogitet se Deum habere καρδιογνώστην scrutantem arcana cordium cui illudere longe periculosius est. Utrique norint quemadmodum formulæ contractuum, conceptis verbis & rigidæ esse debent, ita ad rigorem non debere exigi; sed adhibitâ Christiana ἐπιεικείᾳ, ut unusquisque initurus contractum usurarium etiam cum Patre tantillum deponat personam filii

ut

ut ignoti induat & quasi cum eo contraheret: vicissim si contrahit cum ignoto & extraneo, tantum absit ut in executione contractus ab eo exigat ἀκριβοδίκαιον, ut potius agat cum eo tanquam cum fratre charissimo.

Objicitur etiam, siquidem prohibitio contractus usurarii non pertinet nec ad leges positivas nec morales, inde confici vel usuram immerito prohibitam, eamq; prohibitionem contraire legi morali & æquitati naturali, quod sine blasphemia proferri non potest, vel hic adhibendam distinctionem usuræ juvantis & lædentis, illius quidem cedentis in commodum tum creditoris tum debitoris, hujus verò creditori fructuosæ, debitori damnosæ; cujus tamen distinctionis nulla fit mentio in sacra Scriptura. ad posterius objectionis membrum respondeo quanquam ejusmodi distinctionis nullum sit in scriptura vestigium, non sequi rem ipsam non haberi in Scriptura, cum legislator sit æquus & justus & nullum

extra legem ceremonialem imponat grave jugum subditorum cervicibus quod abhorreat à recta ratione & naturali æquitate, sed in omnibus constitutionibus quibus societas & commercium inter homines constant eo spectet ut commodis utriusque partis consulat, quod fit per contractum usurarium æquum & moderatum. unde colligere est ejusmodi usuram à legislatore prohibitam quæ in damnum debitoris cedit, eam verò usuram concessam per quam ipse rem facit sine cujusquam fraude. sed ne præsidium petam ab illa distinctione, assero quantumvis apud omnes in confesso esset eam usuram quæ debitori fructuosa est licitam esse, eamque probe concordare cum lege morali & æquitate naturali, attamen ejus praxim merito potuisse vetari certis in locis, certisque personis & temporibus, ut solenne est legislatori rem suâ natura æquissimam aut mediam prohibere, ut in mandato de non colligendo ligno (re per se licita) die sabbati,

ſabbati; talis fuit prohibitio de eſu ſanguinis & ſuffocatorum : conſimiliter nemo dubitat pium & probum eſſe ſtipem porrigere ; tamen in quibuſdam locis ubi magiſtratus abundepauperum indigentiæ proſpexit, ſapienter ad eliminandos deſides & immunes fucos ſedentes ad aliena pabula, neve Chriſtiana charitas ſit inertiæ pretium, vetat mendicantibus porrigi eleemoſynam : par ratio contractus uſurarii, qui per ſe æquus & licitus, potuit tamen juſte vetari ob certos fines & cum exceptionibus idoneis, quales ſunt. 1. eam prohibitionem fœnerandi ad populum ſolum Iſraeliticum pertinuiſſe. 2. Fœnerationem tantum fuiſſe illicitam inter fratres de populo Iſraelitico. 3. at non inter Iudæum & alienigenam ut non liceret Iudæo pecuniam ſuam niſi alienigenæ fœnori dare ; neque enim cenſendum eſt peccatum fuiſſe ſi alienigena à fratre alienigena acciperet pecuniam uſurariam : quæ quidem permiſſio fœnerari cum alienigena docet

usuram de aliena pecunia sumere vel dare, rem per se non esse malam, sed concordare cum lege morali & æquitate naturali; cum lex moralis nullum respectum habeat ad personam & perinde prohibeat mentiri alienigenæ ac fratri, & in cæteris legis apicibus eadem sit & indifferenter se habeat ad Iudæum & alienigenam juxta, ut legitur numer. 15. v. 16.

Sed præter has exceptiones longè præcipuus statuitur finis ob quē Deus noluit ut usuræ inter fratres de populo Israelitico exercentur, nempe ut divitiæ nationum ad Israelitas derivarentur; Israelitæ enim veluti Danistæ & Traperitæ mensam usurariam exercebant non inter se sed cum Phœnicibus Tyrophœnecibus, Tyriis, Arabibus, Ægyptiis qui fœnerato accipiebant pecunias ab Israelitis, in hostimentum grandes usuras exigentibus, neque enim certus erat usurarum modus.

Hic non illiberale est quærere an Israelitæ perinde licuerit usurariam pecuniam

cuniam sumere ab alienigena ac licuit dare alienigenæ; ego puto non licuisse: nam cum consilium legislatoris fuerit potiorem conditionem populi sui facere ut diteſceret ex alienigena pecunia, vices hic versæ fuissent si Israelita æs alienigenum contraxisset; nam si hoc licitum fuisset, non video cur ex æquo non fas fuerit fratribus de populo Israelitico usuras inter se exercere, quandoquidem multo minori damno æs fratrum contrahitur quam alienum. ex dictis satis liquet. 1. ut usum pecuniæ alienæ habere potest debitor, sic creditori licitum esse usuram pro pecunia sua exigere. 2. mandatum quo Israelitis fœnore interdictum est, non obstare quominus usuras exercere concordet cum lege morali & æquitate naturali. 3. legem de usuris datam Israelitis alias nationes non obligâsse, nedum Christianos.

Coronidis loco facile esset astruere licere viro pio & stationem honestam in Ecclesia aut rep. sustinenti, non tantum

tum pecuniam fœneratò & accipere & dare, sed & non aliam exercere artem præter argentariam & trapeziticam, unde sibi & suis victum comparet; quin in arte trapezetica profitenda minus pronum esse lapsum ad avaritiam, furtum & mendacium, minusq; peccari quam in aliis artibus quæstuariis, artemque trapeziticam magis congruere colendæ charitati Christianæ quam cæteras artes, ob hanc potissimum rationem. Aliorum mercenariorum modus pretii vel operæ est sine modo: nam nulla lege prohibetur mercenarius quin quantam maximam velit mercedem pro operæ possit paciscì & artifex pro manu pretio, institor, aut ἀγοραῖος pro pretio mercis: at ne possit modum egredi fœnerator lex vetat: quod dixi in genere de profitentibus quasvis artes liberales & mechanicas quibus pronior est lapsus ad vanigloriolam, jactantiam, fraudes & mendacium, id ipsum inductione facta in singulis confici potest: quid forum sectantibus & causidicis procli-

vius

vius eſt quam jus gratiæ dare & clientem tædio ſumptuum enecare? medicus ut rem faciat, artem arte tegit & per mortes miſerorum experimenta facit, cuſtationes ſuas venditat tum maxime cum ſupervenit ægro convaleſcenti: Oppidani mercenarii ſuæ officinæ merces etſi rerectanea tibi exponent dejerando non meliores reperiri in toto oppido. Tum, quod pleriſque mercatoribus ſolenne eſt, quod emerunt parvo poſtmodum immani pretio vendunt: etiam Caupo aut piſtor, etſi hic panem, ille vinum taxatum habeat à magiſtratu, facile tamen imponunt vulgo, vappam pro vino aut panem farreum pro ſiligineo reponentes: huc pertinent qui captant pretia frumenti; pauperem enecantes, nec quandiu vilis eſt annona, ſed cum vendi poteſt cariſſimò frumentum divendunt; nec meliores vinarii mercatores qui ſi qua calamitas vitibus, ſi frigus gemmas aduſſerit, aut grando uvas contuderit, ſtatim apotheeas aut

cellas

cellas claudunt ac tempus expectant carius vendendi: at mensariis & trapezitis non tam lata complanata est via ad fraudes & mendacia: nam etsi magistratus eam cuiq; libertatem indulgeat id cordatè, sponte ac honestè agere quod alii ex necessitate faciunt; tamen leges videntur majorem fibulam vitiis laxaviſſe in advocatis, causidicis, opificibus & mercenariis quancunque artem profitentibus, minorem vero fœneratoribus & mensariam artem exercentibus, quibus parem indulgentiam & licentiam improbis esse non concessit, sed posuit modum quem non transiliant; cæteris non eadem repagula opposita. profectò etsi vitium hominum profitentium quancunq; artem potius sit in viro quam in professione & arte, tamen de trapezita & fœneratoriam artem exercente asseruerim, tum vitio professionis tum suo minime omnium mercenariorum & artificum improbum esse, etiam cum ex æquo omnes tum trapezitæ, tum alii mercenarii

seu

seu mercatores seu opifices intra legum rigorem professione sua defunguntur: trapezitæ enim nec causa nec occasio pejerandi aut dejerandi datur: vix quenquam illiciet aut illicere poterit in fraudem; nec magniloquus commendabit pecuniam, cujus pretium & valor omnibus obvii sunt & expositi: neminem enim cogit ad recipiendos adulterinos nummos, sed solet dubios immutare. Denique quanquam vapulet natio daniſtarum, mensariorum, trapezitarum & eorum qui cum illis rem habent, quisquis professiones omnes animo lustraverit, comperetit trapeziticam inter mechanicas honestissimam, minusque in fraudes irretientem; nisi forsan barbitonsoris aut agricolæ ars paria cum ea faciat, aut super honestate certet & litem moveat: nam si ratio rectè putetur omnes mercatores, propolæ, mercium institores etiam non opinantes professionem usurariam & trapeziticam exercent, quamvis longè infra decorum & honestum

à

à trapezitis observatum consistant; etenim illi merces parva pecuniâ comparatas maximâ divendunt, quod perinde est immo gravius quam pecuniam propriam certo fœnore dare: at trapezitæ lucro statutus est modus, aliis verò minime. Verùm cum non liber sed Epistola scribenda sit, atque abunde probatum tibi putem contractum usurarium esse licitum, modum si non usuris, saltem Epistolæ meæ faciam.

FINIS.

TRIN. COLL. LIBRARY CAMBRIDGE